DE

DEMOPHANTI PATROCLIDIS TISAMENI

POPULISCITIS

QUAE INSERTA SUNT ANDOCIDIS ORATIONI

ΠΕΡΙ ΜΥΣΤΗΡΙΩΝ.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVIII. M. NOVEMBRIS A. MDCCCLXXIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES DROYSEN

BORUSSUS.

PARTES ADVERSARIORUM SUSCIPIENT:

C. LINCKE, CAND. PHIL.
A. MAERKLIN, CAND. PHIL.
J. VEIT, CAND. MED.

BEROLINI
TYTIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE (OTTO FRANCKE).
Marienstr. 10.

In Andocidis oratione, quae inscribitur *περὶ μυστηρίων*, qualem exhibent libri manu scripti, inter ipsa oratoris verba praeter nominum catalogos legumque formulas tria psephismata Attica Patroclidis Tisameni Demophanti leguntur. Quae psephismata homines docti, qui aut de antiquitatibus Atheniensium aut de rebus inde ab anno ol. 92. 3 ad annum 94. 2 Athenis gestis scripserunt, licet attigerint, tamen particulas quasdam inde decerptas tractare quam suscepta, ut decebat, de fide eorum quaestione primaria tota examinare maluerunt. Quae cum ita sint, non abs re fore judico haec tria psephismata commentario perpetuo explicare et quae sit eorum fides et integritas, quo denique jure inter Andocidis verba legantur, quaerere.

De Demophanti psephismate.

Inter paragraphos 96 et 99 orationis insertum est Demophanti psephisma, quod agit de interficiendis eis, qui rem publicam liberam Atheniensium evertere studuerint, addita sacramenti formula, qua omnes Athenienses, ut agant perinde atque sit decretum, adstringuntur.

Minus huic psephismati quam Patroclidis et Tisameni animum adverterunt hominus docti; de initio Meierus in libro, qui inscribitur *de bonis damnatorum* pag. 2—11 uberius disseruit; Herbstius in commentario, quem de pugna apud Arginusas facta scripsit, pag. 80—85 de toto decreto disputavit, qui cum temporis definitionem, quam primus statuit Barthelemeius omnibusque viris doctis probavit, falsam tum psephisma, quod inter Andocidis verba legitur, ficticium et ex Andocidis Lycurgi Demosthenis verbis quibusdam composi-

tum esse contendit. Grotius aliique, qui historiam graecam scripserunt, Naberus denique reliqui omnes de fide et auctoritate hujus psephismatis neque dubitaverunt neque quaesiverunt.

Tribus constat partibus Demophanti psephisma praescriptis, quae vocantur, priore rogationis parte, quae legem, altera, quae sacramenti formulam continet.

I. Praescripta integra sunt servata:

Ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ· Αἰαντὶς ἐπρυτάνευε Κλεογένης ἐγραμμάτευε Βοηθὸς ἐπεστάτει· τάδε Δημόφαντος συνέγραψεν. Sollemni hac praescriptorum formula Athenienses usi sunt usque ad Euclidem archontem, sed artioribus finibus aetatem huius decreti circumscripsit primus Barthelemeius: is enim vidit in tituli Attici (C. I. A. I. no. 188) principio, quod est *Ἀθηναῖοι ἀνήλωσαν ἐπὶ Γλαυκίππου ἄρχοντος καὶ τῆς βουλῆς ᾗ Κλειγένης Ἁλαιεὺς πρῶτος ἐγραμμάτευεν,* Cleigenem Halaeensem eundem atque nostrum Cleogenem esse, qua de re Boeckhius dubitari posse negavit. Glaucippus Atheniensibus archon fuit anno ol. 92. 3, quo Aeantis tribus primam habuit prytaniam cf. tit. s. l. *ἐπὶ τῆς Αἰαντίδος πρώτης πρυτανευούσης.* Demophantus igitur psephisma Hecatombaeone mense anni ol. 92. 3 id est inter a. d. III Id. Quint. et a. d. XVII Cal. Sept. anni 410 a. Chr. (cf. Boeckh. Oec. Civ. II^2 25) ad populum tulit.

Grotius et qui eum secuti sunt, res post quadringentos, quos vocant, sublatos Athenis gestas ita narrant, ut Demophanti psephisma statim vel paullo post restitutam rem publicam liberam latum esse existimasse videantur. Qua in re opinio eos fefellisse videtur; nam etsi accurate definiri non possit, quo tempore quadringentorum factio sublata sit, tamen ineunte anno ol. 92. 2 eam sublatam esse constat, ut totus fere annus praeterierit, priusquam Demophantus rogationem populo proposuit, idque notatu dignum est.

Sed a sollemni praescriptorum sermone illa *τάδε συνέγραψεν* abhorrent, in quibus si verbum ferri possit pronomen certe non posse efficitur conlata simili forma *ὁ δεῖνα εἶπεν* de eo, qui tulit ad populum, a qua constanter abest pronomen. Suo igitur jure in his verbis homines docti offenderunt; verbum *συνέγραψε* qui explicaret, solus exstitit Herbstius, qui Demophantum *συγγραφέως* munere

functum esse conjecit. Titulus C. I. A I, 58 duobus mensibus Demophanti decreto posterior *τῶν συγγραφέων* mentionem continet; ex addito articulo apparet tertio ejus anni mense *συγγραφέας* fuisse, unde verisimillimum est, eos jam anni initio fuisse; quorum in numero Demophantum fuisse non est improbabile.

Herbstius, ut efficiat non anno ol. 92. 3 sed post exactos triginta viros latum esse Demophanti psephisma, Cleogenem nostrum, quem eundem atque Cleigenem Halaeensem fuisse concedit, et anno 92. 3 et post exactos XXX viros scribae munere functum esse existimat et ut eundem virum bis scribam fuisse probet, Lysistrati scribae exemplum (Boeckh. Oec. Civ. I^2 255) affert. Sed aliud est virum quendam eodem anno duabus tribubus atque eundem virum eidem tribui post quinque annos scribam fuisse.

II. Prior rogationis pars, quae est integra et perspicua, haec est:

ἐάν τις δημοκρατίαν καταλύῃ τὴν Ἀθήνησιν ἢ ἀρχήν τινα ἄρχῃ καταλελυμένης τῆς δημοκρατίας πολέμιος ἔστω Ἀθηναίων καὶ νηποινεὶ τεθνάτω καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ δημόσια ἔστω καὶ τῆς θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον· ὁ δὲ ἀποκτείνας τὸν ταῦτα ποιήσαντα καὶ ὁ συμβουλεύσας ὅσιος ἔστω καὶ εὐαγής.

Sacramenti formulae haec verba antecedunt:

(§ 97) *ὀμόσαι δ' Ἀθηναίους ἅπαντας καθ' ἱερῶν τελείων κατὰ φυλὰς καὶ κατὰ δήμους ἀποκτείνειν τὸν ταῦτα ποιήσαντα· ὁ δὲ ὅρκος ἔστω ὅδε.*

sollemnem dicendi usum servatum esse his verbis docet Thucydides V. 47, ubi in foedere Atheniensium Argivorumque legitur omissis *κατὰ φυλὰς — ποιήσαντα: ὀμνύντων δὲ τὸν ἐπιχώριον ὅρκον ἕκαστοι τὸν μέγιστον κατὰ ἱερῶν τελείων· ὁ δὲ ὅρκος ἔστω ὅδε.* Jam primum apparet duplex Atheniensibus sacramentum imperari, quippe qui et tributim in arce, ubi tribuum contiones fuisse videntur, et pagatim in pagorum *ἀγοραῖς* jurare jubeantur; cujus rei causa cum lateat, hoc quoque observatione dignum est pagis hoc loco rerum publicarum curam imponi, quam Clisthenes penitus sustulit; extat tamen ejus rei alterum certumque exemplum in Tisameni psephismate, de quo infra erit disserendum.

III. Sacramentum ipsum hoc est:

κτενῶ τῇ ἐμαυτοῦ χειρὶ ἂν δυνατὸς ὦ ὃς ἂν καταλύσῃ τὴν δημοκρατίαν τὴν Ἀθήνησι καὶ ἐάν τις ἄρξῃ τὴν ἀρχὴν καταλελυμένης τῆς δημοκρατίας τὸ λοιπὸν καὶ ἐάν τις ἄλλος ἀποκτείνῃ ὅσιον αὐτὸν νομιῶ εἶναι καὶ πρὸς θεῶν καὶ δαιμόνων ὡς πολέμιον κτείναντα τῶν Ἀθηναίων καὶ τὰ κτήματα τοῦ ἀποθανόντος πάντα ἀποδόμενος ἀποδώσω τὰ ἡμίσεα τῷ ἀποκτείναντι καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ καὶ ψήφῳ καὶ οὐκ ἀποστερήσω οὐδέν. (§ 98) *ἐὰν δέ τις κτείνων τινὰ τούτων ἀποθάνῃ ἢ ἐπιχειρῶν εὖ ποιήσω αὐτόν τε καὶ τοὺς παῖδας τοὺς ἐκείνου καθ'ἅπερ Ἁρμόδιόν τε καὶ Ἀριστογείτονα καὶ τοὺς ἀπογόνους αὐτῶν· ὁπόσοι δὲ ὅρκοι ὀμώμονται Ἀθήνησιν ἢ ἐν τῷ στρατοπέδῳ ἢ ἄλλοθί που ἐναντίοι τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων λύω καὶ ἀφίημι.*

Initium sacramenti restituerunt primus Luzacius deinde editores Turicenses ex Lycurgi Leocratea (§ 127) *διομωμόκατε δὲ ἐν τῷ ψηφίσματι τῷ Δημοφάντου κτείνειν τὸν τὴν πατρίδα προδιδόντα καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ καὶ χειρὶ καὶ ψήφῳ.* Ex his verbis, quoniam illa *καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ καὶ ψήφῳ* in decreto nostro alieno loco post *ἀποκτείναντι* inserta sunt, sacramenti initium hoc fuisse statuerunt: *κτενῶ καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ καὶ ψήφῳ καὶ τῇ ἐμαυτοῦ χειρὶ ἂν δυνατὸς ὦ·* apparebit autem ex eis, quae infra dicam, de hac re dubitari posse.

Rectissime Reiskius mendosam codicum lectionem *ἄρξῃ τὴν ἀρχήν* collatis verbis, quae in rogatione leguntur *ἀρχήν τινα ἄρχῃ,* mutavit in *ἀ. τινὰ ἄ*; nam eadem rogatione atque sacramento contineri necesse est.

In verbis *ἐάν τις τυραννεῖν ἐπαναστῇ* primum offendit Herbstius idque suo jure, quod *ἐπανίστασθαι* vox cum infinitivo conjuncta apud scriptores ejus aetatis non inveniatur. Dobreeus (advers. pag. 182) conjecit *ἐπὶ τῷ τυραννεῖν ἐπαναστῇ,* quod minus aptum est, nam ex eis, quae sequuntur, *ἢ τὸν τύραννον συγκαταστήσῃ* illis verbis de eo actum esse apparet, qui ipse tyrannidem appetat, ut hujus enuntiati sententia sit: si quis aut ipse tyrannidem adfectat aut eum, qui dominatum sibi vindicet, adjuvat. Deinde idem *τύραννον* vocabulum argumento esse contendit hoc decretum post triginta viros demum exactos conscriptum esse; Aristotelem enim

primum hoc vocabulum ad res Atheniensium significandas transtulisse, cum ageret de triginta virorum imperio. Sed aliter res se habet; nam vocabulum tyranni jam antea in ore Atheniensium fuisse documento sunt Solonis carmina legesque (cf. or. § 96) et populare illud carmen de tyrannicidis clarissimum; primus igitur Aristoteles vocabulo illo nominavit triginta viros.

Verba de honoribus eorum, qui rempublicam defendentes mortui sint, laudat Demosthenes (Lept. 159) *ἀναμνησθέντες . . . . . τῆς Δημοφάντου στήλης . . . . ἐν ᾗ γέγραπται καὶ ὀμώμοται ἄν τις ἀμύνων τι πάθῃ τῇ δημοκρατίᾳ τὰς αὐτὰς δώσειν δωρεὰς ὥσπερ Ἁρμοδίῳ καὶ Ἀριστογείτονι.*

Extremis sacramenti verbis quam maxime comprobatur psephisma nostrum anno ol. 92. 3 post sublatum quadringentorum imperium latum esse. Qui sint *οἱ ὅρκοι οἱ ἐναντίοι τῷ δήμῳ τῷ* (sic enim pro codicum *τῶν* corrigendum) *Ἀθηναίων ὀμώμονται Ἀθήνησιν ἢ ἐν τῷ στρατοπέδῳ*, Thucydides docet VIII. 47 *οἱ ἐν Σάμῳ τριήραρχοί τε τῶν Ἀθηναίων καὶ δυνατώτατοι ὥρμηντο εἰς τὸ καταλῦσαι τὴν δημοκρατίαν* (48) *καὶ ἐκινήθη πρότερον ἐν τῷ στρατοπέδῳ τοῦτο καὶ εἰς τὴν πόλιν ὕστερον ἦλθεν· . . . . . . ἔς τε Σάμον ἐλθόντες (qui antea ad Alcibiadem ierant) ξυνίστασάν τε τῶν ἀνθρώπων τοὺς ἐπιτηδείους ἐς ξυνωμοσίαν . . . . οἱ δὲ ξυνίσταντες τὴν ὀλιγαρχίαν κτλ.* Certam urbis exercitusque mentionem sequitur *ἄλλοθί που,* ne qua conjuratio ubicunque in rem publicam liberam facta omittatur; nec sine causa sequitur; re vera enim oligarchos non solum Athenis et apud exercitum inter se conjurasse testatur idem Thucydides VIII. 64: (*oligarchi, qui apud Samum degebant, Pisandrum aliosque legatos Athenas missos jusserunt*) *τῶν ὑπηκόων πόλεων αἷς ἂν προςίσχωσιν ὀλιγαρχίαν καθιστάναι,* (*alios legatos*) *εἰς τἆλλα τὰ ὑπήκοα χωρία ἄλλους ἄλλῃ διέπεμπον,* (*quorum Diitrephes*) *ἀφικόμενος εἰς τὴν Θάσον τὸν δῆμον κατέλυσεν* et cap. 65 *οἱ δὲ ἀμφὶ τὸν Πείσανδρον παραπλέοντες . . . τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσι κατέλυον.* Erravit igitur Herbstius, cum negavit *ἄλλοθί που* verba habere quo pertineant; erravit idem, cum in his verbis explicandis de eorum, qui annis ol. 94. 3/4 in urbe erant, eorumque, qui Eleusinem se receperunt, factione eisque, qui Thrasybuli partes sequebantur, cogitavit.

Comparanti sacramenti formulam et ipsam Demophanti rogationem, quae antecedit, dubium esse potest, num sacramentum integrum sit servatum; in rogatione enim dictum est non solum eum, qui interfecerit, sanctum et incolumem fore sed etiam *τὸν συμβουλεύσαντα* atque de hoc ne verbum quidem in sacramento legitur; quae *τοῦ συμβουλεύσαντος* mentio, cum in sacramento desiderari non possit, quo loco exciderit, non jam liquet.

IV. Sacramenti formulam sequuntur haec:

ταῦτα δὲ ὀμοσάντων Ἀθηναῖοι πάντες καθ' ἱερῶν τελείων τὸν νόμιμον ὅρκον πρὸ Διονυσίων καὶ ἐπεύχεσθαι εὐορκοῦντι μὲν εἶναι πολλὰ καὶ ἀγαθὰ ἐπιορκοῦντι δὲ ἐξώλη αὐτὸν εἶναι καὶ γένος.

Ex aoristi et imperativo (*ὀμοσάντων*) et infinitivo (*ὀμόσαι*) utrumque sacramentum semel ipso anno ol. 92. 3 Athenienses dedisse apparet; tempus sacramento dando circumscribitur *πρὸ Διονυσίων;* quibus verbis cum non omnino de Dionysiis sed de eis Dionysiis, quae Elaphebolione mense anni ol. 92. 3 instabant, agatur, articulum *τῶν* inseri necesse est; satis amplum septem mensium spatium Demophantus civibus ad sacramentum bis dandum constituit.

Nunc demum disserendum est de verbis, quae post praescripta leguntur:

ἄρχει χρόνος τοῦδε τοῦ ψηφίσματος ἡ βουλὴ οἱ πεντακόσιοι (οἱ) λαχόντες τῷ κυάμῳ ὅτε Κλεογένης πρῶτος ἐγραμμάτευεν·

quae verba ne Meieri quidem opera, qui totus in eis explicandis versatur, satis videntur esse expedita. Meierus enim *ἄρχει χρόνον* scribendum proposuit, cum codicum lectio corrupta videretur, et verba *οἱ λαχόντες τῷ κυάμῳ* ideo addita esse dixit, quod post quadringentos sublatos ineunte anno ol. 92. 2 senatus pristino modo electus est et primus annus integer, per quem senatus populari modo electus summam rerum gerebat, Glaucippi archontis fuit. Neque vero continetur verbis illis primi huius integri anni mentio neque est, cur veteris eligendi modi, si revera senatus quingentorum jam anno ol. 92. 2 institutus est, mentio fiat, postquam per decem vel undecim menses jam reipublicae praefuit; praeterea verba *ὅτε Κλεογένης πρῶτος ἐγραμμάτευεν* plane neglexit[1]). Codices illa verba integra serva-

[1]) Rosii conjectura *ἄρχει χρόνον* verba non explicat.

rerunt; addita sunt, ut temporis aliquam definitionem praebeant. Formula *ἄρχει χρόνος τῶν σπονδῶν, τῆς μισθώσεως* significat foedus vel locationem a tempore quodam, quod non jam adest sed imminet, publicam vim et auctoritatem habere (cf. Boeckh. C. I. Gr. pag. 29 et pag. 876—878). Tempus, a quo Demophanti psephismati publica est auctoritas, definitur verbis *ἡ βουλὴ οἱ πεντακόσιοι οἱ λαχόντες τῷ κυάμῳ ὅτε Κλεογένης πρῶτος ἐγραμμάτευεν*; quibus verbis licet et senatus et scribae mentio contineatur, tamen ad plenam sollemnemque temporis indicationem efficiendam requiritur, ut Cleogenes scriba disertis verbis scriba senatus nominetur; notum enim est singulorum annorum notationem solitam esse fieri adiecto senatui scribae, qui tum fuerit, nomine. Qua causa verba *ὅτε Κλεογένης ἐγραμμάτευε* corrupta sunt et pro conjunctione *ὅτε* scribendum est *οἷς Κλ.*, ut hujus enuntiati argumentum sit Demophanti psephismati ab initio anni ol. 92. 3 publicam esse auctoritatem. Permira est haec sententia, si revera haec verba aut ab ipso Demophanto proposita aut jam anno ol. 92. 3 addita sunt. Nam cum Demophantus rogaverit, ut Athenienses sacramento, quod psephisma continet, ipso anno ol. 92. 3 adigerentur, ineptum est praescriptis addi hoc psephisma valere inde ab hoc anno, cum auctor nequaquam rogasset, ut post hunc annum auctoritatem publicam retineret. Deinde in loco, quo nunc haec verba leguntur, offendo; in nulla lege decretove ipsi rogationi, in qua summa res versatur, definitio, a quo tempore valeat lex decretumve, anteponitur. Itaque haec verba neque ab ipso Demophanto rogata neque ab eo, qui, postquam probatum est psephisma, anno ol. 92. 3 praescripta addidit, inserta esse apparet. Neque Andocidi haec verba adsignare expedit, ut interrupto psephismatis contextu inseruisse credatur; nam orator si haec addidisset, ut tempus, quo latum est psephisma, definiret, absurde addidisset; nam cum decem vel undecim annis, antequam oratio de mysteriis profanatis est habita, psephisma rogatum sit, facillime fieri potuit, ut non pauci judices, ad quos verba fecit Andocides, tunc et ipsi de hoc psephismate sententiam dixerint et sacramento, quod decretum continet, adacti sint; his certe ejus anni mentionem in memoriam revocare orator supersedere potuit. Quae cum ita sint verba *ἄρχει — ἐγραμμάτευεν* ab eo psephismate, quod anno ol. 92. 3 latum et proba-

tum est, aliena sunt atque cum verisimillimum sit psephisma Demophanti post exactos triginta viros iteratum esse, quod infra demonstrabo, haec verba post annum ol. 94. 2 addita esse videntur. Recte igitur Petitus (Legg. Att. pag. 197), qui in eandem sententiam discessit illaque verba ex Dioclis lege adjecta esse conjecit: *κελεύει ὁ νόμος ἕκαστον (νόμον) ἀφ' ἧς ἡμέρας ἐτέθη κύριον εἶναι πλὴν εἴ τῳ χρόνος προςγέγραπται, τούτῳ δὲ τὸν προςγεγραμμένον ἄρχειν* (Dem. Tim. 43).

Ad finem quaestionis, quam de fide et integritate hujus psephismatis instituimus, pervenimus; spero me demonstrasse cum nihil inesse decreto, quo jure in suspicionem vocetur, tum psephisma, quod codices exhibent, revera idem esse atque quod Demophantus, cum *συγγραφέως* munere fungebatur, ineunte anno ol. 92. 3 ad populum Atheniensem tulit.

V. Jam quaerendum est, quas ob causas Herbstius post triginta viros demum sublatos psephisma nostrum latum esse existimaverit. Hujus igitur opinionis fundamentum esse voluit Lycurgi verba, quae sunt (in Leocr. 125) *μετὰ γὰρ τοὺς τριάκοντα οἱ πατέρες ὑμῶν .... μόλις εἰς τὴν ἑαυτῶν κατεληλυθότες ἐψηφίσαντο .... καὶ ὤμοσαν ἐάν τις τυραννίδι ἐπιτιθῆται ἢ τὴν πόλιν προδιδῷ ἢ τὸν δῆμον καταλύῃ τὸν αἰσθανόμενον καθαρὸν εἶναι τὸν ἀποκτείναντα.* Unus licet Lycurgus post rempublicam liberam anno ol. 94. 2 restitutam Athenienses psephisma ejusdem fere argumenti atque Demophanti, quod omittere non debebat Scheibius in libro *„die oligarchische Umwälzung"*, probasse doceat, non est cur hoc oratorem finxisse credamus. Herbstius dubitari posse negat, quin psephisma anno 94. 2 latum idem sit atque Demophanti. Potest certe de hac re dubitari et, quoniam constat Demophanti psephisma anno ol. 92. 3 latum esse, dubitari necesse est. At qui factum est, ut Lycurgus Demophanti psephismatis sacramentique judices commonefecerit, cum paucis §§ ante aliud simillimum decretum commemorasset, quod multo melius aptiusque laudaret? Quod ita expediendum esse conjicio. Demophantei psephismatis auctoritas et vis amnestia anni ol. 94. 2 irrita reddita sacramentique religio et quasi vincula, quibus jurati obstricti tenebantur, soluta sunt; neque enim publice aut ritu sollemni tolli tunc opus erat, ut voluerunt Scheibius aliique. Post exactos tyrannos psephisma a Lycurgo §§ 124—6

laudatum latum est, ut in posterum respublica tuta esset ab intestinis seditionibus et conjurationibus factionum; is, qui tunc hoc proposuit, rogavit, ut Demophanti psephisma vim et auctoritatem, qua ante amnestiam fuerat, denuo haberet et sacramentum hoc psephismate praescriptum iteraretur; id quod Athenienses probaverunt atque ita probaverunt, ut hoc novum decretum non ex ejus, qui iterandum censuit, sed ex ejus, qui primus tulit, nomine nominarent. Quae si recte conjeci, Lycurgus et Demosthenes Demophantei psephismatis anno ol. 94. 2 iterati verba laudant. Comprobatur haec conjectura eo, quod ea, quae Lycurgus affert, non congruunt cum psephismatis verbis, quod legitur apud Andocidem. Nam si ad verba laudavit Lycurgus, decretum iteratum praeter tyrannidem adfectatam et rem publicam sublatam proditionem respicit (§. 125 *τὴν πόλιν προδιδῷ,* 126 *προδοσίας δὲ καὶ δήμου καταλύσεως,* 127 *τὸν τὴν πατρίδα προδιδόντα*), de qua ipsius Demophanti psephisma non agit; accedit, quod Lycurgus dicit Athenienses jurasse *τὸν αἰσθανάμενον καθαρὸν εἶναι τὸν ἀποκτείναντα* (cf. 126 *καὶ διὰ τοῦτο ἄν τις αἴσθηται μόνον μέλλοντας αὐτοὺς τούτων τι ποιεῖν ἀποκτείνειν συνώμοσαν*), de qua re Demophantus non fecit verba. Videtur igitur Demophanti psephisma anno ol. 94. 2 non ad verbum iteratum sed aliquatenus auctum et amplificatum esse.

VI. Restat, ut quaeramus, oratorisne consilio an interpolatoris nescio cujus psephisma eo, quo codices exhibent, loco legatur. Andocides postquam de Cephisio Meletoque accusatoribus exposuit, pergit (§ 95). *Ἐπιχάρης δὲ οὗτος .... οὗτος γὰρ ἐβούλευεν ἐπὶ τοῖς τριάκοντα· ὁ δὲ νόμος τί κελεύει ὅς ἐν τῇ στήλῃ ἔμπροσθέν ἐστι τοῦ βουλευτηρίου· ὃς ἂν ἄρξῃ ἐν τῇ πόλει τῆς δημοκρατίας καταλυθείσης νηποινεὶ τεθνάναι καὶ τὸν ἀποκτείναντα ὅσιον εἶναι καὶ εὐαγῆ καὶ τὰ χρήματα ἔχειν τοῦ ἀποθανόντος. Ἄλλο τί οὖν ὦ Ἐπίχαρες ἢ νῦν ὁ ἀποκτείνας σε καθαρὸς τὰς χεῖρας ἔσται κατα γε τὸν Σόλωνος νόμον. καί μοι ἀνάγνωθι τὸν νόμον τὸν ἐκ τῆς στήλης. ΝΟΜΟΣ.* quod verbum Demophanti psephisma excipit. Demophanti psephisma Soloneam legem non esse constat; itaque homines docti, ut hanc difficultatem expedirent, diversa ratione usi sunt. Schellingius (*Solonis legum reliquiae* pag. 8) post *ΝΟΜΟΣ* excidisse judicavit *ἀνάγνωθι δὲ καὶ τὸ ψήφισμα. ΨΗΦΙΣΜΑ. ἔδοξεν*

κτλ., quam conjecturam rectissime Franckius (Jen. Litt. Ztg. 1844 pag. 734) collatis § 99 verbis refutavit (*πότερον κύριος ὁ νόμος ὅδ' ἐστὶν ἢ οὐ κύριος*), unde legem tantum recitatam esse apparet. Alii Andocidem pro oratorum Atticorum more usuque Solonis nomine abusum verba, quae pro Soloneis laudat, ex Demophanti psephismate petiisse dixerunt. At credi vix potest: neque enim consentaneum est, judices, qui vel omnes vel nonnulli ante paucos annos Demophanti psephisma ipsi probaverant sacramentoque erant adstricti, ita se falli passos esse, ut Andocides pro Soloneis venditaret, quae ipsi suis sententiis comprobassent et quae novissime facta esse novissent. Ad hoc argumentum, quod quam grave sit nemo non videt, accedit, quod lex Solonea aliud habet de bonis eorum, qui sint interfecti, praeceptum *τὰ χρήματα ἔχειν τοῦ ἀποθανόντος* (*eum qui interfecerit*), atque Demophanti psephisma *τὰ χρήματα δημόσια ἔστω καὶ τῆς θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον* et sacramentum *τὰ ἡμίσεα* (*bona interfecti*) *τῷ ἀποκτείναντι ἀποδώσω.* Denique dubitari potest an oratorum, qui saeculo quarto fuerint, consuetudo Solonis nomine abutendi Andocidi quoque fuerit; nam illi oratores leges Atticas ex ea legum Atticarum sylloga noverunt, quae anno ol. 94. 2 facta et leges antiquissimas Solonis Dracontisque et postea usque ad annum ol. 94. 2 latas continebat, ut singularum auctores originisque tempora jam non possent dignosci, Andocides autem judicesque, apud quos verba fecit, usu memoriaque noverunt, qui legum status ante Euclidem archontem fuerit et quis quamque legem tulisset non ignorarunt. Itaque verba quae Andocides laudat, re vera e lege quadam Solonea petita sunt[3]). Nullo igitur jure post Andocidis verba *καί μοι ἀνάγνωθι τὸν νόμον τὸν ἐκ τῆς στήλης* Demophanti psephisma legitur, scriba, quem Andocides recitare jussit, legem Solonis recitavit.

[3]) In eandem sententiam discessit Prantelius (Ztschr. f. A. W. 1842 pag. 1090) qui minus recte verba Plutarchi (comp. Sol. et Public. 2) affert *τὸ δὲ μισοτύραννον ἐν τῷ Ποπλικόλᾳ σφοδρότερον. εἰ γάρ τις ἐπιχειροίη τυραννεῖν ὁ μὲν* (*Solon*) *τὴν δίκην ἐπιτίθησιν ὁ δὲ* (*Publicola*) *καὶ πρὸ τῆς κρίσεως ἀνελεῖν δίδωσι.* quae falsa esse apparet.

Recte monuit Krügerus ad Dion. Histor. 375 adn. 57 probabile non esse ante annum 92. 3 Athenis legem in tyrannos non fuisse, quod efficitur, si Solonis nomine abusum Andocidem a Demophanto verba petiise statuis.

Quod eam attulit, ut Epicharem accusaret, maximae Andocidis levitatis est testimonium; nam oblivionis lege, ne quis rerum ante actarum accusaretur neve multaretur, prorsus neglecta ad eam Solonis legem, quam amnestia facta ad tempus Athenienses abrogaverunt, redit; neque Demophanti ipsius psephisma, quod idem amnestia abrogatum est, neque restitutum, quod ad res ante popularium reditum gestas non spectabat, afferre licuit Andocidi.

Ter Athenis lege populive scito sancitum est, ne homines novarum rerum cupidi rempublicam turbarent: prima Solonis est lex, quae quo tempore data et ubi primum proposita fuerit, incertum est; exeunte saeculo quinto ante curiam pilae incisa legebatur. Sequitur decretum, quod anno ol. 92. 3 Demophanto auctore populus scivit; denique post rempublicam liberam per Thrasybulum restitutam iteratum est Demophanti psephisma et propositum *ἐν τῷ βουλευτηρίῳ ὑπόμνημα τοῖς καθ' ἑκάστην ἡμέραν συνιοῦσι καὶ βουλευομένοις ὑπὲρ τῆς πατρίδος ὡς δεῖ πρὸς τοιούτους* (*homines rerum novarum et tyrannidis cupidos*) *ἔχειν*, ubi propositum etiamtunc Lycurgus anno ol. 113. 2 legit.

De Patroclidis psephismate.

Patroclidis psephisma frequentiorum hominum doctorum industriam quam Demophanti et Tisameni in se convertit; in quo explicando et emendando cum soli legi Soloneae, quam continet, animum adverterint, factum est, ut reliqua fere omnia neglecta jacerent. Scheibius, qui solus de toto psephismate uberius quaerere instituit (Ztschft. f. A. W. 1842 pag. 202—11) minime in totum diligentia aequa atque in partem Soloneam recumbens reliqua aut strictim tetigit aut plane praetermisit. Quae sit psephismatis, ut codicibus servatum est, integritas, nemo quantum video quaesivit.

I. Ipsum psephismatis initium mutilum est, cum praescriptorum sola formula *Πατροκλείδης εἶπε* servata sit.

Patroclides quis fuerit neque ab Andocide neque ab aliis auctoribus discimus, nam quae Scheibius ex Aristophane attulit, huc non pertinent. Patroclidem, quem cavillatur poeta (Avv. v. 791) ob

sordes, eundem atque psephismatis auctorem fuisse neque est certum neque ex scholiastae verbis effici potest, quae sunt *δοκεῖ Πατροκλείδης πολιτικὸς εἶναι καὶ λόγιος ἄλλως δὲ κατασχημονῶν τῶν στρωμάτων*; liquet enim scholiastam nihil de Patroclide illo novisse, neque Patroclidem sordidum eundem atque psephismatis auctorem fuisse existimasse. Scheibius, qui hanc opinionem falsam scholiastae supponit, Patroclidis sordidi, psephismatis auctoris, etiam Plut. v. 84 mentionem fieri conjecit, ubi poeta Patroclem quendam sordidum cavillatur; sed scholiastae verbis, quae et ipse laudat, *Πατροκλῆς τις ἦν τῶν τὸν Λακωνικὸν βίον ζηλούντων Ἀθηναίων*, refutatur; nostrum enim psephisma rogare, cum urbs terra marique a Lacedaemoniis obsidebatur, minime erat ejus, qui hostium partes sequeretur, sed ejus, cui patria defendenda et calamitates civium sublevandae cordi essent.

Post praescripta et ante ipsam rogationem inserta sunt haec:

ἐπειδὴ ἐψηφίσαντο Ἀθηναῖοι τὴν ἄδειαν περὶ τῶν ὀφειλόντων ὥστε λέγειν ἐξεῖναι καὶ ἐπιψηφίζειν

quae cum praescriptis addita sunt, ut explicaretur, quomodo Patroclidi licuerit de re, de qua populus dicendi veniam dabat, verba facere.

II. Sequitur rogatio Patroclidis:

ψηφίσασθαι τὸν δῆμον ταὐτὰ ἅπερ ὅτε ἦν τὰ Μηδικὰ καὶ συνήνεγκεν Ἀθηναίοις ἐπὶ τὸ ἄμεινον.

Andocides § 75 Patroclidis psephismatis hoc fuisse argumentum dicit: *ἐβουλεύσασθε περὶ ὁμονοίας καὶ ἔδοξεν ὑμῖν τοὺς ἀτίμους ἐπιτίμους ποιῆσαι καὶ εἶπε τὴν γνώμην Πατροκλείδης*; quod argumentum ex ipso psephismate oratorem sumpsisse, enumerationem autem trium infamiae generum ipsum sponte addidisse (*οἱ δὲ ἄτιμοι τίνες ἦσαν — ἐγὼ ὑμᾶς διδάξω*) verisimillimum est. Psephisma, quod exhibent codices, de debitoribus tantum Patroclidi veniam dicendi datam esse dicit, reliquorum infamiae generum non facit mentionem. Itaque cum Patroclides infamium restitutionem proposuerit, ei de his quoque dicendi veniam datam esse necesse est; et rectissime Sauppius (ep. crit. ad G. Hermannum pag. 139) hanc sententiam restituit verbis *τῶν ἀτίμων καὶ* ante *τῶν ὀφειλόντων* inserendis. At qui factum est, ut quamvis veniam

dicendi de infamibus et debitoribus dedissent Athenienses, Patroclides de reliquis praeter debitores publicos infamibus verba non fecerit. Res sane difficilis expediri posse videtur psephismate illo lato, *ὅτε ἦν τὰ Μηδικά.* Andocides enim (§ 107) narrat *ἡνίκα βασιλεὺς ἐπεστράτευσεν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα (Athenienses) ἔγνωσαν τοὺς φεύγοντας καταδέξασθαι καὶ τοὺς ἀτίμους ἐπιτίμους ποιῆσαι*; quo anno haec restitutio facta sit, non constat, cum orator pugnas ad Marathonem et apud Salamina commissas miscuerit[*]) (cf. § 108). Exules non revocavit Patroclides (§ 80) *τοὺς δὲ φεύγοντας οὔτε Πατροκλείδης εἶπε κατιέναι οὔθ' ὑμεῖς ἐψηφίσασθε*, sed alterum de infamibus restituendis psephisma iteravit et totum praeter ea, quae de debitoribus continebat, iterasse videtur; cum quid reliquis pristini illius psephismatis, quod tunc profuerat, institutis adderet mutaretve, non haberet, ea, quae dicta erant de debitoribus, non probavit sed nova rogavit. Hac conjectura explicari videtur, quod reliquos infames silentio praetermisit; quae si recte conjeci, comprobatur Boeckhii sententia, qui (Ind. lect. Ber. 1828/9 pag. 7) Meieri opinione (Mus. Rhen. II. 274) refutata inde a verbis *περὶ δὲ τῶν* Patroclidis additamenta incipere statuit.

III. Addidit autem Patroclides haec:

περὶ δὲ τῶν ἐπιγεγραμμένων εἰς τοὺς πράκτορας ἢ τοὺς ταμίας τῆς θεοῦ καὶ τῶν ἄλλων θεῶν ἢ τὸν βασιλέα ἢ εἴ τις μὴ ἐξεγράφη μέχρι τῆς ἐξελθούσης βουλῆς ἐφ' ἧς Καλλίας ἦρχεν ὅσοι ατιμοι ἦσαν ἢ ὀφείλοντες καὶ ὅσων εὔθυναί τινές εἰσι κατεγνωσμέναι ἐν τοῖς λογιστηρίοις ὑπὸ τῶν εὐθύνων ἢ τῶν παρέδρων ἢ μήπω εἰσηγμέναι εἰς τὸ δικαστήριον γραφαί τινές εἰσι περὶ τῶν εὐθυνῶν ἢ προστάξεις ἢ ἐγγύαι τινές εἰσι κατεγνωσμέναι εἰς τὸν αὐτὸν τοῦτον χρόνον.

Ἐπιγράφεσθαι solemne est verbum de timemate aut alia re lapidi inscribenda (Boeckh. Oec. Civ. II² 106), de qua notione hic cogitari non potest; sed hic de eis usurpatum est, qui in tabulas

*) Wolfius ad Dem. Lept. 460. 31 omnino de hac restitutione, cujus alii scriptores non faciant mentionem, haud recte dubitavit — Scheibius l. l. hanc restitutionem eandem atque, qua Aristides et *οἱ ἐπὶ χρόνῳ μεθεστῶτες* ante pugnam Salaminiensem Themistocle auctore redierunt, fuisse conjecit.

catalogumve relati sint; cujus notionis solemnis est Atheniensibus vox *ἐγγράφειν*. Recte igitur Emperius (opusc. acad. pag. 209) pro codicum mendoso *ἐπιγεγραμμένων* *ἐγγεγραμμένων* scribendum esse censuit[4]). Debitores publicos, qui apud practores inscribebantur, ei, qui Minervae reliquorumque deorum aerariis debebant, sequuntur. Cum quaestores Minervae et quaestores reliquorum deorum per annos ol. 86. 2 usque ad 94. 2 duo collegia fuerint, Patroclidis autem psephisma anno ol. 93. 4 latum sit atque psephisma solemnem dicendi usum sequi debeat, ante *τῶν ἄλλων* inserendum est *τοὺς* et ut haec duo quaestorum collegia aeque atque practores quaestores rex sacrorum opponantur, pro *καὶ*, quod legitur, *ἢ* scribendum est. Cum non tradatur, qui fuerint regis sacrorum debitores, verisimillima videtur conjectura Boeckhii (Oec. Civ. I² 219 adn. 6) *τοὺς ἐγγεγραμμένους εἰς τὸν βασιλέα* eos fuisse, qui eponymorum, quos vocabant, heroum aerariis deberent.

Nova debitorum classis sequi videtur inde a verbis *ἢ εἴ τις*, cum, quae haec verba sequuntur, opponantur antecedentibus conjunctione *ἢ*; attamen de eisdem atque supra agitur, nam inter eos, qui jam inscripti sunt, eosque, qui non expuncti sunt, nihil interest. Blassius igitur, ut duo debitorum genera efficiat, ante *ἐξεγράφη ὀρθῶς* addidit, hoc modo codicum *ἢ* servari posse ratus. Neque vero *ἢ* conjunctioni[5]), sed *ἐξεγράφη* voci mendosi quid inest. Reiskius *ἐξεγράφη* vocabulum intellexit de expungendo, cujus notionis testimonium non extat praeter Dion. Hal. XVIII. 22; falsam esse hanc interpretationem, docet sermo sollemnis Atticus; is enim de expungendo semper *ἐξαλείφειν* vocabulo utitur; *ἐκγράφειν* verbum plane ab eo alienum fuisse videtur. Ad hanc gravissimam caussam, qua de *ἐξεγράφη* vocis integritate, quod codices exhibent, dubitare licet, altera accedit, quod verborum, quae tradita sunt, sententia non satis bona est; nam *οἱ μὴ ἐκγραφέντες*, si Reiskii utimur interpretatione, ei sunt, qui quamvis pecuniam, quam debuerant, jam quaestori reddi-

---

[4]) Notissimum *ἐγγράφεσθαι εἰς ἄνδρας, ὀργεῶνας*, quod inscribendo inter alios recipi, ut receptus eis, inter quos recipiatur, par aequusque sit, significat. Hic alia verbi notio occurrit.

[5]) Eam delendam censuit Emperius l. l. pag. 209.

derint, hujus negligentia ex debitorum catalogis expuncti non sunt; quam quaestoris negligentiam γραφῇ βουλεύσεως persequi licebat. Itaque si Athenienses, ut horum nomina expungerentur aesque alienum remitteretur, decreverunt, his veniam dederunt, quam non solum dare fas erat sed etiam jamdudum dedisse decebat, quaestoribus autem, quamquam neglexerunt muneris officia, indulserunt. Qua venia data, qua homines privati maxima afficiebantur injuria, psephismatis auctorem cives ad defendendam patriam et labores obsidionis subeundos promptos reddidisse vix credas. Hic quoque Sauppius l. l. primus codicum lectionem mendosam esse statuit, erravit autem in vocabulo, quo emendare sibi visus est; nam ex eis, quae supra disserui, non ἐπεγράφη, quod Sauppius proposuit, sed ἐνεγράφη scribendum esse apparet. Restitutis igitur psephismatis verbis sententia evadit, ut eis debitoribus, qui fraude inscripti non erant, aeque atque τοῖς ἐγγεγραμμένοις indulgeretur, accusatio aboleretur, quamquam endeixis institui licebat, pecunia, quam debebant, remitteretur; hoc cum proposuit Patroclides, revera civibus non parva condonavit et impunitate praebita stimulum adjecit.

Verba ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν ἢ ὀφείλοντες corrupta sunt; debitores enim et infames sic distingui non possunt, si de solis debitoribus agitur, cum debitores quoque sint infames; delenda igitur est aut sola conjunctio ἢ aut verba ἢ ὀφείλοντες. Imperfecto ἦσαν, quod per se stare non potest, eos tantum debitores, qui ante tempus quoddam infamia sint affecti, restituendos esse efficitur; quod tempus definitur verbis μέχρι τῆς ἐξελθούσης βουλῆς ἐφ' ἧς Καλλίας ἦρχεν, id est, cum Callias archon fuerit anno ol. 93. 3, ad finem proximi anni. Blassius recte ante μέχρι comma inseruit, quia ὅσοι vocabulum ad τοὺς ἐγγεγραμμένους tantum referri potest.

Hujus igitur partis argumentum hoc est: quicunque in debitorum catalogos, qui sunt apud practores quaestores Minervae quaestores reliquorum deorum regem sacrorum, usque anni proximi finem relati sunt aut si quis ex lege erat referendus, relatus autem non est, et ob eam causam infames sunt, in integrum restituendi sunt.

Verba, quae de rationum redditarum causis subsequuntur, egregie illustravit Boeckhius Oec. Civ. I² 126 adn. 2; idem pag. 269

recte monuit pro codicum *ἢ τῶν παρέδρων* scribendum esse *καὶ τῶν παρέδρων*.

Wachsmuthius A. H. II. 199 et Meierus l. l. p. 275 in verbis *ἢ προςτάξεις* offenderunt, cum non liqueat, quid sint *προςτάξεις κατεγνωσμέναι* et cum Andocides supra infamiae *κατὰ προςτάξεις* mentionem fecerit, hic quoque de hoc infamiae genere actum fuisse et hanc paragraphum excidisse conjecerunt. Sed minus recte conjecisse videntur, cum Patroclides non de infamibus sed de debitoribus hac psephismatis parte egerit. Blassius *προςτάξεις* vocabulum corruptum et de debitorum quodam genere verbis quae exciderint, actum esse recte judicavit; in eo, quod ad hanc fenestram supplendam publicanos et *προςκαταβλήματα* ex § 73 petiit, errasse videtur, cum Andocides ipse hanc infamiae generum descriptionem addidisse videatur, ut ex his ejus verbis nihil de psephismatis argumento effici possit.

Post *ἐγγύαι κατεγνωσμέναι* temporis definitio, quae supra de debitoribus erat constituta, recte iteratur *εἰς τὸν αὐτὸν τοῦτον χρόνον* ad finem anni ol. 93. 3, cum rationes magistratibus, qui anno proximo munere functi erant, anno ol. 93. 4 ineunte reddendae essent causaeque, quae inde exoriebantur, primis hujus anni mensibus instituerentur.

Exceptionibus verba de quadringentis viris antecedunt haec:

καὶ ὅσα ὀνόματα τῶν τετρακοσίων τινὸς ἐγγέγραπται ἢ ἄλλο τι περὶ τῶν ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ πραχθέντων ἐστὶ γεγραμμένον.

Scheibius et qui eum secuti sunt, haec verba de rebus gestis actisque quadringentorum agere crediderunt; vertit enim (*Ol. U. pag. 37*) similique modo A. G. Beckerus (p. 178): „*deren Namen in die Reihe der 400 eingetragen und von denen sonst eine zur Zeit der Oligarchie zu Gunsten derselben vollzogene Handlung aufgezeichnet wäre*“, quae interpretatio eo offendit, quod Scheibius vera horum verborum sententia neglecta alia omisit alia plane finxit. Accuratius vertit Meierus l. l. p. 275: „*was die Namen derer betrifft, die als zu den 400 gehörig oder wegen des von ihnen in der Oligarchie gethanen in die [gedachten Schuld]verzeichnisse eingetragen sind, so sollen ihre Namen gelöscht und alle für die Eintragung sprechenden Documente, in wessen Besitz sie sich auch*

befinden mögen, vernichtet werden"; quod inseruit debitorum catalogorum mentionem, minus recte fecit, cum nihil in his verbis inveniatur, quod de debendo dictum sit. Consilio aut casu factum est, ut uterque *τινός* vocabulum omitteret; verba *ὅσα ὀνόματά τινος* ferri non possunt; nam cum hominibus Atticis singula fuerint nomina, de alicujus nominibus dici non potest; delendum igitur est pronomen, quod quo modo inter decreti verba insertum sit, non liquet. In quos catalogos quadringentorum nomina relati sint et quae fuerint alia scripta de rebus per oligarchiae tempus gestis, conjicere non audeo.

IV. Secunda psephismatis pars exceptiones continet, quarum prima haec est:

πλὴν ὁπόσα ἐν στήλαις γέγραπται τῶν μὴ ἐνθάδε μεινάντων.

Excipiuntur igitur a restitutione, qui condemnati sponte terram Atticam dereliquerant et quorum nomina pilis erant inscripta. (cf. Lelyveld de infamia pag. 24).

V. Jam perventum est ad celeberrimam nostri psephismatis partem, qua Solonis lex de infamibus restituendis iterata est. Quamvis iterum iterumque actum sit de hac lege et permultae sententiae conjecturaeque sint prolatae, haec quaestio non ad finem perducta esse videtur; ideo pauca, antequam de psephismatis verbis agimus, de ipsius Solonis lege praemittenda sunt.

Solonis legem servavit Plutarchus (vit. Sol. 19 *ἄξων ιγ νόμος η'*) *ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι ἐπιτίμους εἶναι πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ ὅσοι ἐκ τῶν ἐφετῶν ἢ ἐκ πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπο τῶν βασιλέων ἐπὶ φόνῳ ἢ σφαγαῖσιν ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφυγον* (*ἔφευγον* Sintenis) *ὅτε ὁ θεσμὸς ἐφάνη ὅδε.* Verba quantum video integra sunt, sententia plana et perspicua est, si in eis acquiescimus, quae ipsa verba ultro docent; congestis autem undique, quae huc pertinere credebantur, fieri potuit, ut simplex legis argumentum quasi obscuraretur.

Quicumque de hac Solonis lege disputavit, dubitare non videtur, quin Schömannus vir de antiquitatibus Atticis illustrandis optime meritus egregii quid docuerit, cum Solonem eo potissimum consilio exceptiones legi addidisse diceret, ut Alcmaeonidas, quorum auctoritatem opesque metueret et qui tunc ob Cyloneos interfectos exulasse

dicantur, Athenas et in terram Atticam redire prohiberet. Huic conjecturae non pauca obstant. Atque primum quidem ex eis, quae Thucydides Herodotus Plutarchus de scelere Cyloneo, quod vocatur, tradunt, Alcmaeonidas damnatos et in exilium pulsos esse non eo, quod Cyloneos interfecerunt sed, quod Cyloneos supplices caedentes et ipsi sacrilegium commiserunt et urbem sacrilegii macula affecerunt, apparet. (Thuc. I. 126 *ἀναστήσαντες δὲ αὐτοὺς* (*Cyloneos supplices*) *οἱ τῶν Ἀθηναίων ἐπιτετραμμένοι τὴν φυλακὴν .... ἀπάγοντες ἀπέκτειναν· καθέζομένους δὲ τινάς καὶ ἐπὶ τῶν σεμνῶν θεῶν ἐν τοῖς βωμοῖς ἐν τῇ παρόδῳ διεχρήσαντο· καὶ ἀπὸ τούτου ἐναγεῖς καὶ ἀλιτήριοι τῆς θεοῦ ἐκεῖνοι ἐκαλοῦντο*). Neque vero omnino *ἀσεβείας* mentionem ullam fecit Solon sed tantum *φόνου σφαγῶν τυραννίδος*. Deinde obstat rerum gestarum series et ordo. Solon anno ol. 46. 3, quo archon fuit, legem edidit et omnes, qui ad hunc annum infamia erant affecti, in integrum restituit. Cum Cyloneum scelus viginti fere annis ante Solonem archontem accidisse inter omnes constet, inter infames, quos non restituturus erat Solon, Alcmaeonidas quoque numerares, nisi gravissimo testimonio eos jam ante annum ol. 46. 3 restitutos esse appareret. Solonis aetate bellum sacrum contra Crisaeos gestum est; varia traduntur de hujus belli praetoribus: Attici, ut videntur, scriptores Solonem praeturam gessisse narrant, alii alios laudant praetores; Aristoteles Solonem hujus belli auctorem solum fuisse scripsit (*Σόλωνι την αἰτίαν ἀνατιθείς*), *τὰ Δελφῶν ὑπομνήματα* (Plut. Sol. 11) quibus major est auctoritas hac in re quam scriptoribus Atticis quam plurima maximaque Soloni tribuentibus et quae Aristotelis consensu firmantur, Alcmaeonem Atheniensium ducem tunc fuisse tradiderunt: *ἐν δὲ τοῖς Δελφῶν ὑπομνήμασιν Ἀλκμαίων οὐ Σόλων Ἀθηναίων στρατηγὸς ἀναγέγραπται* (Plut. Sol. 11). Sacri hujus belli tempus, Pario quod vocatur marmore, et Callisthenis verbis definitur, juxta quos scholiastarum Pindari (Pyth. Hypoth.) minima vel nulla est auctoritas. Certamen Pythium ob expugnatam Cirrham anno ol. 47. 3 institutum est ex marmore (epoch. 37) *ἀφ' οὗ Ἀμφικτίο]ν[ες ἐνίκησαν ἑλ]όντες Κύρραν καὶ ὁ ἀγὼν ὁ γυμνικὸς ἐτέθη .... ἄρχοντος Ἀθήνησι Σίμωνος* (cf. Boeckhium ad h. v. et Fischeri Zeittafeln p. 116, 118, 121). Callisthenis apud Athen. XIII. 10. 560

verba haec sunt: ὁ δὲ Κρισαικὸς πόλεμος ὀνομαζόμενος δεκαέτης ἦν . . . δεκάτῳ δὲ ἔτει ἑάλω καὶ ἡ Κίῤῥα. Initium igitur belli fuit anno ol. 45. 2. Quocum consentit rerum ordo, qui est apud Plutarchum, qui hoc bellum ante Epimenidis adventum et Solonis nomothesiam ponit. Quae cum ita sint, Alcmaeonidas jam anno ol. 45. 2 in integrum restitutos esse et Athenas rediisse necesse est, ut Solon de eis cogitare non posse appareat; immo jam ante hunc annum eos restitutos esse pro certo haberi potest, quia fieri non potuit, ut Athenienses ejus belli, quod sacrum esse volebant, Alcmaeonem, qui paullo ante sacrilegii reus exulaverat, ducem elegerint[6]).

Non de Alcmaeonidis sed fortasse de Cylone fratreque, qui caedem evaserant, cogitavit Solon, cum exceptiones addebat; quod et Schöllius conjecit (Herm. VI. 21).

Si speciosissimam illam conjecturam non ex omni parte satis solidam esse recte probavimus, eae quoque conjecturae, quae ex hac pendent, dilabuntur; eorum dico virorum doctorum, qui Solonem de Alcmaeonidis cogitasse rati prytanes naucrarorum Herodoteos attraxerunt, quibuscum judicium ἐκ πρυτανείου conjunxerunt, Thucydidis, qui, ut dissimulato quidem nomine Herodotum castigaret, horum prytanum ne mentionem quidem fecit eorumque loco archontes nominavit, ratione non habita.

C. O. Müllerus Solonis legi τοὺς φυλοβασιλέας inmiscuit (ad Aesch. Eum. p. 157 adn. 13), quos plerique vv. dd. libentissime acceperunt. Primum obstat, quod de his ne verbum quidem apud Solonem legitur; nam cum legis verba sint, quae Plutarchus servavit, sollemnis dicendi usus sollemniaque nomina ei servanda sunt, ut si de regibus tribuum revera agitur, hos sollemni et justo φυλοβασιλέων nomine nominari necesse sit; neque credi potest tam ineptos fuisse Athenienses, ut βασιλέων nomine et tribuum et sacrorum reges appellaverint. Deinde verba καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων ad tria judicia, quae antecedunt referenda sunt; at Areopagi judicio τὸν ἄρχοντα βασιλέα praefuisse constat; de ephetis docet titulus de perscribenda lege Dracontis C. I. A. I. 61 δικάζειν

6) Temere Fischerus Alcmaeonidarum condemnationem anno ol. 45 4. adsignat.

δὲ τοὺς βασιλέας αἰτιῶν φόνου ἢ βουλεύσεως τοὺς ἀεὶ βασιλεύοντας; de judicio *ἐκ πρυτανείου* omnino nihil constat, cum Solon mentionem solus faciat; quae ex ejus verbis effici possunt, haec sunt: aliud erat judicium atque Areopagi et ephetarum, aut de caedis (*φόνου σφαγῶν*) aut tyrannidis adfectatae criminibus judicabat et quod e verbis *καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων* efficitur, huic judicio rex sacrorum praeerat. Itaque si praeter reges sacrorum alii forte reges judicio *ἐκ πρυτανείου* praeerant sententiamque dederant, horum mentio Soloni addenda erat; quae cum sit omissa, Mülleri *φυλοβασιλεῦσι* nullus est locus atque hos *βασιλέας* fuisse *ἄρχοντας βασιλέας* statuendum est. Recte dictum esse *τῶν βασιλέων* plurali numero, de qua re dubitavit Emperius l. l. p. 206, qui proposuit *ὑπὸ τοῦ βασιλέως*, ex eo efficitur, quod nominantur omnes reges sacrorum, qui ante annum ol. 46 caedis aut tyrannidis reos exilio affecerunt (cf. Dracontis verba s. l.)[7]. *Σφαγῶν* crimen hoc solo loco extat; a jure Attico, quod saeculo quinto et quarto fuit, prorsus est alienum.

VI. Haec Solonis verba, qualia nunc in Patroclidis psephismate leguntur, neque cum antecedentibus cohaerent neque integra sunt servata; sed ita sunt corruptelis et interpolationibus obrutae, ut nisi Plutarchus genuinam legis formulam servasset, omnino emendari non possent.

Sunt autem verba haec:

ἢ ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ τῶν ἐφετῶν ἢ ἐκ πρυτανείου ἢ Δελφινίου ἐδικάσθη ἢ ὑπὸ τῶν βασιλέων ἢ ἐπὶ φόνῳ τίς ἐστι φυγὴ ἢ θάνατος κατεγνώσθη ἢ σφαγεῦσιν ἢ τυράννοις.

Atque primum quaerenti, unde pendeat verbum *ἐδικάσθη*, non est nisi pronomen *ὁπόσα*, cui supplendum est *ὀνόματα*; quod absurdum esse apparet; itaque inter verba *μεινάντων* et *ἢ ἐξ Ἀρείου πάγου* nonnulla excidisse patet. Deinde ipsis verbis non paucae insunt

[7]) Kirchhoffius praeceptor illustrissimus monuit ex Solonis verbis non sequi judicium *ἐκ πρυτανείου* etiamtunc Solonis aetatis fuisse et valuisse; verba enim talia esse, ut credi possit jam ante Solonis aetatem hoc judicium abolitum esse, ut Solon sententias olim hoc judicio de caede et tyrannide datas iteraverit, ne quis aut ipse, qui condemnatus erat, aut ejus posteri restituerentur.

mendae. Post Areopagi ephetarum ἐκ πρυτανείου judiciorum mentionem laudatur judicium ἐκ Δελφινίου. At omnia ephetarum judicia jam vocibus τῶν ἐφετῶν sunt commemorata; cur jam unum ephetarum judicium Delphinii additum est? Quod ut expedirent, viri docti Patroclidem Soloneae legis verba ἐκ πρυτανείου male intellecta ad judicium ἐπὶ πρυτανείῳ retulisse existimaverunt. Vereor, ne ineptus fuisse jure credatur Patroclides, si recte conjecerunt. Ipsi errarunt, qui Patroclidem errasse statuerunt; nam si verba ἐκ πρυτανείου de judicio, quod erat ἐπὶ πρυτανείῳ, intellexit auctor, non modo Delphinii judicium non erat addendum sed ne verba ἐκ πρυτανείου quidem, quae nihil novi afferant, servanda erant; itaque verba ἢ ἐκ Δελφινίου delenda sunt[8]). Et delenda est conjunctio ἤ, quae ante ὑπὸ τῶν βασιλέων legitur, cum non legatur apud Solonem. Perversa totius legis sententia est, si servatur codicum ἐδικάσθη; huic enim vocabulo cum sit notio causam agendi et sententiam dicendi aut de judicibus aut de magistratibus, qui judicibus praesunt, verborum ἐδικάσθη — ἐγνώσθη argumentum est: quicquid judiciis supra scriptis actum est et de quacunque causa reges sacrorum sententiam tulerunt; ac ne forte credas omnes horum judiciorum sententias, sive absolverint sive condemnaverint, reditus et restitutionis facultatem ademptura esse, verbis ἢ ἐπὶ φόνῳ et quae sequuntur, eae tantum nominantur sententiae, quibus rei condemnati sint. Miris ambagibus usus est Patroclides, quamvis non haberet, cur sanum et simplicem Solonis legis tenorum mutaret. Restituendum igitur est ex Solonea lege καταδικασθεῖσιν deleta ἢ conjunctione, quae est ante φόνῳ vocabulum. Scheibius l. l. p. 209 recte verba ἢ θάνατος κατεγνώσθη expunxit, quae cum conjungi non possint nisi cum verbis ἢ σφαγεῦσιν ἢ τυράννοις, abhorrent ab Attico dicendi usu. Verba, quae illis expunctis supersunt, ferri non possunt, cum exilium aut ad σφαγέας aut ad tyrannos pertineat, caedis autem mentio prorsus desit; Kirchhoffius igitur Solonis verba restituit ἐπὶ φόνῳ . . . ἢ σφαγαῖσιν ἢ τυραννίδι, quem sequi nullus dubito.

[8]) Servari liceret, si probari posset Matthiaei de jud. Ath. pag. 51 conjectura Delphinium aeque atque Palladium exeunte saeculo V heliastis traditum esse.

Emendatis demum codicum et restitutis genuinis Patroclidis verbis quaeri potest, quae ratio inter ipsius Solonis et iteratam legem intercedat.

ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι ἐπιτίμους εἶναι πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ ὅσοι ἐκ τῶν ἐφετῶν ἢ ἐκ πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐπὶ φόνῳ . . . . ἢ σφαγαῖσιν ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφυγον ὅτε ὁ θέσμος ἐφάνη ὅδε.	*ἢ ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ . . . . τῶν ἐφετῶν ἢ ἐκ πρυτανείου καταδικασθεῖσι ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐπὶ φόνῳ τίς ἐστι φυγὴ ἢ σφαγαῖσιν ἢ τυραννίδι.*

Ad verbum fere Soloneae legis formulam in psephisma recepit Patroclides; qua in re initium et extrema verba omittenda fuerunt; sed cur mediorum verborum simplicem planumque sermonem ordinemque dereliquerit et uberiore formula usus sit, non liquet.

VII. Tertia psephismatis parte, quae incipit inde a verbis *τὰ δὲ ἄλλα*, edicitur, quomodo fiat restitutio; verba sunt haec:

τὰ δὲ ἄλλα πάντα ἐξαλεῖψαι τοὺς πράκτορας καὶ τὴν βουλὴν καὶ τὰ εἰρημένα πανταχόθεν ὅπου τί ἐστιν ἐν τῷ δημοσίῳ καὶ εἰ ἀντίγραφόν πού ἐστιν παρέχειν τοὺς θεσμοθέτας καὶ τὰς ἄλλας ἀρχάς· ποιεῖν δὲ ταῦτα τριῶν ἡμερῶν ἐπειδὰν δόξῃ τῷ δήμῳ, ἃ δ' εἴρηται ἐξαλεῖψαι μὴ κεκτῆσθαι ἰδίᾳ μηδενὶ ἐξεῖναι.

Enuntiatum hoc non ab omni parte integrum est. Primum verba *καὶ τὰ εἰρημένα πανταχόθεν* corrupta esse non fugit Sluiterum et J. Bekkerum, qui *κατὰ τὰ εἰρημένα* scribendum esse censuerunt; quod si probas, non est, quocum *πανταχόθεν* conjungatur. Scheibius igitur l. l. p. 210 proposuit *βουλήν· καὶ τὰ εὑρημένα πανταχόθεν*, quae verba haud recte vertit „*das von allen Seiten her gefundene, wo auch etwas in dem Rathsarchiv wäre*“. Sed verba *ὅπου τί ἐστιν ἐν τῷ δημοσίῳ* non de metroo sed de compluribus, quae non accuratius definiuntur, locis dicta esse docet pronomen *ὅπου*, quamquam articulus *δημοσίῳ* voci appositus unum certumque locum significare videtur; *τὸ δημόσιον* igitur est „loca publica“ et verborum horum argumentum: si quid loco publico propositum extat sive per vias foraque lapidi inscriptum sive per magistratuum *ἀρχεῖα*.

Emendantur hujus partis verba ex titulo Attico (C. I. A. I. 32 l. 10—13) de pecuniis sacris reddendis, qui § 5 haec habet: *ἀποδόντων [δὲ τ]ὰ χρήματα οἱ πρυτάνεις μετὰ τῆς βουλῆς καὶ ἐξαλειφόντων ἐπειδὰν ἀποδῶσι, ζητήσαντες τά τε πινάκια καὶ τὰ γραμματεῖα καὶ ἐάμπου ἄλλοθι ᾖ γεγραμμένα*; cujus paragraphi argumentum psephismatis partis persimile esse patet. Restituitur igitur justa apud Patroclidem verborum sententia, si *ζητήσαντας* participium, quod optime ad *πανταχόθεν* adverbium quadrat, inseritur. Autographorum mentio, quae verbis *ὅπου τί εστιν ἐν τῷ δημοσίῳ* non inest et quam commemoratam fuisse apparet ex enuntiato *εἴ πού τι ἀντίγραφόν ἐστι*, sic enim codicum scriptura secundum sermonis Attici consuetudinem transpositione sananda sunt, psephismati deest, etsi omissa esse non potest; inserendum igitur *αὐτά* post *δημοσίῳ*; accedit quod Andocides § 76, qua psephismatis argumentum breviter enarrat, haec habet *ταῦτ' οὖν ἐψηφίσασθε ἐξαλεῖψαι πάντα τὰ ψηφίσματα καὶ αὐτὰ καὶ εἴ πού τι ἀντίγραφον ἦν*, quae verba, cum sollemnem formulam servent, oratorem ex ipso psephismate sumpsisse verisimillimum est. Restant verba *καὶ τὰ εἰρημένα*; Scheibius licet sententiae satis fecisse censendus sit, scribere debuit aut *εὑρισκόμενα* aut *εὑρηθέντα*; Sluiteri et Beckeri conjecturae obstat, quod ultro addita sunt haec verba, codicum scripturae, quod jam verba *τὰ δὲ ἄλλα πάντα* hanc sententiam continent; itaque quid sibi velint haec verba et quomodo sint emendanda, non liquet. Practores praesente senatu tabulas debitorum delere et operam dare, ne quae nomina publicis locis proposita praetermittantur, themothetae reliquique magistratus autographa et exemplaria inde descripta, quae ipsi aut per *ἀρχεῖα* aut alio modo habeant, practoribus tradere jubentur.

VIII. Supra substiti post verba *μηδενὶ ἐξεῖναι* et quae sequuntur *μηδὲ μνησικακῆσαι μηδέποτε* ab antecedentibus sejunxi; quod cur fecerim, demonstrandum est. Quamvis Scheibius enuntiatum *ἃ δ' εἴρηται — μηδέποτε* in unum contrahere non dubitaverit, ea tamen re sententiam non sanam reddidit; apparet enim nonnulla deesse ante haec verba. Nam si cum antecedentibus conjunguntur, quibus privati homines horum debitorum nomina tabulasque possidere vetantur, idem homines privati de illis tabulis aegre ferre et malam

retinere memoriam (*μνησικακῆσαι*) vetantur, sinsecus gravissimorum criminum, de quibus Areopagi judicium judicabat, poenis afficiuntur; quod ineptum esse nemo non videt. Andocides docet Patroclidem praeter debitorum restitutionem alia rogasse (§ 76) *ταῦτ' οὖν ἐψηφίσασθε ἐξαλεῖψαι πάντα τὰ ψηφίσματα . . . καὶ πίστιν ἀλλήλοις περὶ ὁμονοίας δοῦναι ἐν ἀκροπόλει καί μοι ἀνάγνωθι τὸ ψήφισμα τὸ Πατροκλείδου καθ' ὃ ταῦτα ἐγένετο* et § 73 *ἐβουλεύσασθε περὶ ὁμονοίας καὶ ἔδοξεν ὑμῖν τοὺς ἀτίμους ἐπιτίμους ποιῆσαι καὶ εἶπε τὴν γνώμην Πατροκλείδης*; quod tunc factum esse Lysias XXV. 27 testatur *τοὺς δὲ ἀτίμους ἐπιτίμους ἐποιήσατε τοῖς δ' ἄλλοις περὶ ὁμονοίας ὅρκους ὤμνυτε.* Atque horum sacramentorum de concordia inter cives firmanda factorum mentio, cui in reliquo psephismate nullus relinquitur locus, ante verba *μηδὲ μνησικακῆσαι μηδέποτε* facta est, ut optime haec verba subsequantur. Exciderunt fortasse talia *τοὺς δὲ Ἀθηναίους ὀμόσαι καθ' ἱερῶν τελείων ἐν πόλει ἦ μὴν ὁμονοήσειν;* codicum *μνησικακῆσαι* in *μνησικακήσειν* mutandum est.

Extrema psephismatis verba poenas constituunt, si quis concordiam sacramento firmatam neglexerit fregeritve:

εἰ δὲ μὴ ἔνοχον εἶναι τὸν παραβαίνοντα ταῦτα ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐν οἷςπερ οἱ ἐξ Ἀρείου πάγου φεύγοντες ὅπως ἂν ὡς πιστότατα ἔχοι Ἀθηναίοις καὶ νῦν καὶ εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον.

Eis quae adhuc disserui, probasse mihi videor psephisma, quod exhibent codices, idem esse atque, quod Patroclides anno ol. 93. 4 tulit, foedissime corruptum et interpolatum.

VIIII. Restat, ut de tempore, quo latum sit psephisma, quaeramus; quae temporis definitio, cum praescripta servata non sint, ratiocinando ut inveniatur, periclitandum sit.

Andocides igitur Patroclidem psephisma tulisse dicit (§ 73) *ἐπεὶ αἱ νῆες διεφθάρησαν καὶ ἡ πολιορκία ἐγένετο;* uberius narrat Xenophon Hell. II. 2. 8: *Παυσανίας ἀναλαβων αὐτοὺς* (*Lacedaemoniorum et Peloponnesiorum exercitus*) *πρὸς τὴν πόλιν ἐστρατοπέδευσεν* . . . . (9) *Λύσανδρος δὲ . . . ὡρμίσατο πρὸς τὸν Πειραιᾶ . . . καὶ τὰ πλοῖα εἶργε τοῦ εἴσπλου* (10) *οἱ δὲ Ἀθηναῖοι πολιορκούμενοι κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν . . . τοὺς ἀτίμους ἐπιτίμους ποιήσαντες ἐκαρτέρουν*; quae de infamibus verba cum ad Patroclidis psephisma pertinere in aperto sit, identidem constat

Athenas tum, cum Patroclides ad populum ferret, terra marique obsessas esse neque vero id, quod Grotio aliisque, qui eum secuti sunt, placuit, latum esse psephisma ante obsidionem inceptam et Lysandri adventum. Cum certi quid, quo tempore Athenae obsideri coeptae sint, traditum non sit, nam quod Grotius proposuit Novembri mensi inceptam esse obsidionem, alii extrema aestatis parte, conjecturis tantum debetur, non possum, quin dubitem, an omnino certi quid de obsidionis initio, ex quo psephismatis definitio pendet, effici possit.

Ipsi quidem psephismati certissima inest temporis significatio sed ejus tantum temporis, post quod factum est. Verba enim dico, quae Patroclides de caussis rationum a magistratibus anni proximi redditarum fecit. Cum psephisma ad populum ferebatur, magistratus rationes jam reddiderant, de nonnullis jam erat judicatum (*ὅσων εὔθυναί τινές εἰσι κατεγνωσμέναι*) privatorum hominum, qui rationibus intercesserant, *γραφαί* nondum erant delatae. Magistratibus per Hecatombaeonem mensem rationes erant reddendae (Harp. s. v. *λογισταὶ οἱ λ. τὰς εὐθύνας τῶν διῳκημένων ἐκλογίζονται ἐν ἡμέραις λ' ὅταν ἀποθῶνται τὰς ἀρχὰς οἱ ἄρχοντες*); per certum tempus privatis licuisse intercedere tradit Pollux VIII. 45: *ἡ δ' εὔθυνα χρόνον ἔχει διωρισμένον μεθ' ὃν οὐκέτ' ἐξῆν ἐγκαλεῖν*; quod tempus Boeckhius recte eundem Hecatombaeonem mensem fuisse conjecit (Oec. Civ. I[2] 268). Post Hecatombaeonem igitur mensem anni ol. 93. 4 Patroclidis psephisma latum efficitur.

Temporis, ante quod Patroclides rogaverit, definitionem ex Lysiae oratoris verbis addere posse mihi videor. Hic enim (XXI. 3) narrat: *ἐπειδὴ δὲ κατέπλευσα ἐπ' Ἀλεξίου ἄρχοντος* (ann. ol. 93. 4) *εὐθὺς ἐγυμνασιάρχουν εἰς Προμήθεια*; actor orationis (§ 9) se proelio ad Aegosflumen commissum interfuisse dicit[9]): quod proelium A. Mommsenus, (Beiträge zur griech. Zeitrechnung pag. 350.)

---

[9]) *Ἡ τελευταία ναυμαχία* non nisi haec pugna est; quod in ea Athenienses *τοῖς τριηράρχοις ὠργίσθησαν διὰ τὴν γενομένην συμφοράν*, reliqui auctores non tradunt, Xenophon de pugna ad Arginusas facta narrat. Orationis actor § 11 dicit *αἱ σωθεῖσαι νῆες δώδεκα ἦσαν*, Xenophon (II. 1. 28. 29) VIIII naves servatas esse dicit, quarum VIII in Cyprum cum Conone aufugerunt, sola Paralus Athenas pervenit, Ephorus (Diod. XIII. 106) decem naves cladi superfuisse dicit.

Scirophorione mense anni ol. 93. 3 factum esse docuit. De Prometheorum tempore, ex quorum die nunc pendet quaestio, conjici tantum licet. Thrasyllus, qui septimam Isaei orationem egit, se eodem anno, quo Delphis Athenas rediit peractis Pythiis, Prometheorum choregiam subiisse narrat (§ 36). Cum Pythia Bucatio Delphorum mense (VII fortasse die), qui idem fere est atque Atheniensium Metageitnion, facta esse constet, (cf. Kirchhoffium Ber. d. Berl. Ak. 1865 pag. 29—31) Promethea Athenis post Metageitnionem ineuntem celebrabantur. Ex tituli Attici C. I. Gr. 213 festorum dierum ordine *Διονύσια Θαργήλια Προμήθεια Ἡφαίστια*, quocum consentit auctoris de rep. Ath. III. 4 ordo *Διονύσια Θαργήλια Παναθήναια Προμήθεια Ἡφαίστια*, Promethea inter Panathenaea, quae Hecatombaeone mense agebantur, et Hephaestia fuisse sequitur; quando Hephaestia fuerint non constat, A. Mommsenus (Heort. p. 311 adn.**) ea Chalceorum, quae Pyanopsione exeunte celebrabantur, partem fuisse et Pyanopsionis *ἕνῃ καὶ νέᾳ* acta esse conjecit. Quae conjectura si cum eis, quae modo de Pythiis disputavi, conjungitur, Promethea aut Metageitnionis exeuntis aut Boedromionis aut Pyanopsionis cuidam diei adsignanda sunt. Redierat igitur Lysianae orationis actor anno ol. 93. 4 ante Pyanopsionis finem; neque vero quidquam certi ex reditus tempore de obsidionis initio efficitur nisi id, quod Maemacterionis mensis initium extremum obsidionis institutae tempus esse conjici licet.

Jam quaerendum est, an quid ex deditae urbis die et obsidionis tempore de obsidionis initio effici possit. Thucydides V. 27 totius belli Peloponnesiaci tempus nominat, sed cum duo diversa de belli initio testimonia proferat, quod infra demonstrabitur, omittendus est. Plutarchus (vit. Lys. 15) urbem deditam esse dicit *ἕκτῃ ἐπὶ δεκάτῃ Μουνυχιῶνος μηνός, ἐν ᾗ καὶ τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν ἐνίκων τὸν βάρβαρον*; quibus verbis error manifestus inest, qui etiam de glor. Ath. 7 extat: nam pugna ad Salamina commissa est XIX. d. Boedromionis (Boeckhii Mondcyklen p. 69); itaque Plutarchus aut eo erravit, quod adjecit pugnae mentionem aut eo, quod cum pugnae diem laudare vellet, diem, quo ob victoriam Salaminiensem dies festus Athenis agebatur, (Mommseni Heortol. pag. 403. 410—12) substituit; apparet igitur indicationem Plutar-

cheam de captae urbis die non ita esse certam solidamque. Certum obsidionis tempus nemo tradidit. Xenophon narrat II. 2 obsessa urbe *ἐπειδὴ παντελῶς ἤδη ὁ σῖτος ἐκλελοίπει* primum legatos ad Agidem Sellasiamque, post eorum reditum Theramenem, qui quarto demum mense a Lysandro redierit, denique alios cum Theramene legatos missos esse, qui pacem reportaverint: ex qua narratione pro certo mihi evadit per quinque certe menses obsidionem esse perductam. Si Plutarcheo diei fides haberi potest, huic detrahendis V mensibus ad Maemacterionem mensem exeuntem reducimur, quem modo extremum obsidionis institutae tempus fuisse statui, ex qua conputatione psephisma Patroclidis post Maemacterionem latum esse sequitur. Sed si diutius V mensibus obsessae sunt Athenae, quae opinio aliquam veri speciem habet, accurate, quo mense Lysander Pausaniasque ad urbem accesserint, definir non potest.

De Tisameni psephismate.

Tisameni psephisma exhibent codices inter §§ 82 et 85. Egerunt de eo et ei, qui res Athenis anno ol. 94. 2 gestas conscripserunt et ei, qui in explicandis antiquitatibus Atticis nomothesiae formam atque rationem exposuerunt; praeterea occasione data alii aliis locis adtigerunt.

I. Praescripta librariorum incuria praeter verba *ἔδοξεν τῷ δήμῳ Τισαμενὸς εἶπε* interierunt; quae servata sunt, mutila sunt, cum ante *τῷ δήμῳ* exciderit *τῇ βουλῇ καί.* Tisamenus praescriptis psephismatis auctor nominatur. Complures Tisameni, qui vixerunt exeunte saeculo V, noti sunt. *Τεισαμενὸς ὁ Παιανιεύς,* qui quaestor Minervae suffectus fuit anno ol. 91. 3 (C. I A. I 133 cf. pag. 67), *Τεισαμενός,* qui est in titulo C. I. Gr. 292, Tisamenus, quem cavillatur Aristophanes Acharn. v. 602 et quem scholiasta aut *ξένον καὶ μαστιγίαν* aut *πανοῦργον* fuisse conjecit; denique Tisamenus Mechanionis f., quem Lysias (in Nicom. 28) una cum Nicomacho *ὑπογραμματέα* fuisse dicit. Ne quintus ejus nominis psephismatis auctor accederet, Osannus apud Boeckhium pag. 182 quaestorem psephisma tulisse conjecit, quae conjectura neque refelli neque

probari potest; alii *τὸν ὑπογραμματέα* decreti auctorem fuisse statuerunt, de qua opinione idem atque de Osanniana judicandum est. Ei autem, qui eundem Tisamenum et quaestorem et *ὑπογραμματέα* et psephismatis auctorem fuisse credunt, quam maxime errant. Quaestores enim Minervae usque ad annum Nausinici ex pentacosiomedimnorum classe electos esse, *ὑπογραμματέων* munere aut servos publicos aut cives, qui rerum inopia coacti victum stipendiumque quaerebant, functos esse constat. Accedit, quod Scheibius tertiae hujus conjecturae auctor Lysiae verbis *ὑμεῖς δὲ Τισαμενὸν τὸν Μηχανίωνος καὶ Νικόμαχον . . . ὑπογραμματέας εἵλεσθε* quasi vim affert, ut conjecturam firmet; dicit enim oratorem his verbis augendo veritatem depravasse, quod cur credamus omnino non est.

II. Ipsius rogationis prima pars haec habet:

πολιτεύεσθαι Ἀθηναίους κατὰ τὰ πάτρια· νόμοις δὲ χρῆσθαι τοῖς Σόλωνος καὶ μέτροις καὶ σταθμοῖς, χρῆσθαι δὲ καὶ τοῖς Δράκοντος θεσμοῖς οἷσπερ ἐχρώμεθα ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ.

quae verba, etsi sunt perspicua, propter ea, quae infra legentur, notanda sunt[10]).

III. Subsequuntur haec:

ὁπόσων δ' ἂν προςδέῃ οἱ δὲ ᾑρημένοι νομοθέται ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀναγράφοντες ἐν σανίσιν ἐκτιθέντων πρὸς τοὺς ἐπωνύμους σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ καὶ παραδιδόντων ταῖς ἀρχαῖς ἐν τῷδε τῷ μηνί, τοὺς δὲ παραδιδομένους νόμους δοκιμασάτω πρότερον ἡ βουλὴ καὶ οἱ νομοθέται οἱ πεντακόσιοι οὓς οἱ δημόται εἵλοντο ἐπειδὴ ὀμωμόκασιν· ἐξεῖναι δὲ καὶ ἰδιώτῃ τῷ βουλομένῳ εἰσίοντι εἰς τὴν βουλὴν συμβουλεύειν ὅτι ἂν ἀγαθὸν ἔχῃ περὶ τῶν νόμων.

in quibus summa quaestionis de hujus psephismatis fide posita est.

Jam prima hujus partis verba sana non esse apparet, cum *δέ* particula post *οἱ* non habeat, cui opponatur; quam ob causam Reiskius et Sluiterus numero nomothetarum restituendo ille, cum *ΔΕ* pro *δέκακις πέντε*, hic, cum pro *δέ δέκα* scribendum proposuit,

---

10) Recte distinguuntur Solonis *νόμοι* et Dracontis *θεσμοί;* recte verba *μέτρα καὶ σταθμά* conjungi docet titulus C. I. Gr. 183 *χρῆσθαι δὲ τοῖς μέτροις καὶ τοῖς σταθμοῖς τούτοις.*

corruptelam sanare sibi visi sunt[11]). Neque vero hac ratione verba ὁπόσων — νομοθέται melius inter se cohaerent; sed excidisse aliquid ante οἱ δέ statuendum est; enuntiatum enim ὁπόσων ἂν προςδέῃ sequi necesse est apodosin, qua dictum est eas leges, quibus sit opus, revera additum iri et nomothetas ad eas addendas electum iri. Consentior igitur Blassio, qui servata codicum scriptura ante οἱ δέ lacunam statuit[12]). Codicum corrupta lectio ἀναγράφονται aut ἀναγράφοντας utrum ἀναγράφοντες scribendo, quod I. Bekkerus, an ἀναγραφέντας, quod proposuit Naberus, emendetur, dijudicare non audeo. Deinde verba πρὸς τοὺς ἐπωνύμους offendunt, cum sollemnis sit formula ἐκτιθέναι ἐν σανίσιν πρὸς τοῖς ἐπωνύμοις (aut πρόσθε τῶν ἐπωνύμων) σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ; restituendum videtur πρὸς τοῖς ἐπωνύμοις. Nihil absurdi inest verbis, quibus ante mensem peractum novae leges ταῖς ἀρχαῖς tradi jubentur; primum enim, cum jam non supersint praescripta, quot ejus mensis dies jam superfuerint, ignoramus, deinde plurimum Atheniensium intererat tempore quam brevissimo interjecto has novas leges proponi totamque nomothesiam absolvi. Τὰς ἀρχάς Schömannus (de comm. pag. 270) viginti viros, quorum mentionem facit Andocides, fuisse arbitratur, quod haud probabile mihi eo videtur esse, quod de uno collegio pluralis numerus praedicari vix potest; Scheibii, (O. U. pag. 149 adn. 7) qui haec vocabula ad senatum nomothetasque quingentos pertinere credit, opinio refellitur eo, quod plane neglexit vir doctus πρότερον vocabulum; nam leges, quae senatui nomothetisque, ut recenseantur, traduntur, ab his, antequam sunt traditae, recenseri non possunt; dicta igitur esse videntur illa verba de magistratibus, qui tunc munere fungebantur. Cum constet Atheniensium senatum compositum fuisse ex quingenis senatoribus neque vero item constet, quot tunc fuerint nomothetae, Petitus L. A. p. 100 et Bakius l. l. V. 246 verborum ἡ βουλὴ καὶ οἱ νομοθέται οἱ πεντακόσιοι ordinem, quem codices exhibent, tentaverunt et nu-

---

[11]) Dobreei advers. pag. 181 et Schömanni Verfassungsgesch. p. 90 conjecturam οἱ ἤδη ᾑρημένοι non esse probabilem, ex eis, quae infra disseram, apparebit.

[12]) Temere Bakius schol. hypomn. IV. 15 pro codicum verbis scripsit οἱ δὲ ᾑρημένοι ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀναγραφεῖς lacuna non suppleta.

merum senatui apposuerunt. At quis audeat certam codicum scripturam mutare, quippe quae aliunde comprobari non possit; neque Bakio contendere licuit nomothetarum numerum ad pagorum numerum non quadrare, cum, quot eo tempore pagi fuerint prorsus ignoretur.

Permirum et plane novum est, quod pagani nomothetas elegerunt; quibus pagis, ut solas suas res agebant, nihil erat cum rebus publicis. Praeter sacramenta a paganis anno ol. 92. 3 data unicum hoc est exemplum pagorum rerum publicarum participum atque eo gravius, quod conjunguntur senatus, qui publicus erat magistratus, et nomothetae a paganis electi, qui ut pagatim convocati populum non efficiunt, ita hac una data occasione populi, ut ita dicam, vices gerunt. En rem quam maxime novam, en paganos Atticos non pagatim sed populi instar agentes, homines pagatim electos Athenas mittentes, qui ex pagorum mandatis atque auctoritate cum senatu de novis legibus consulunt; en formae ejus reipublicae — mandatariam nominare possis — speciem et vestigia, qua nostra aetate pleraeque respublicae utuntur. Solum Platnerum haec res sane memoratu digna non fugit; sed num ejus rei causam (Beiträge pag. 171): *„dass bei dieser neuen Gesetzgebung das Interesse der einzelnen (Demen) concurrirte und daher besonders gewahrt werden musste“* fuisse recte conjecerit, dubium est. Verba *ἐπειδὴ ὀμωμόκασιν* ad paganos solum referri possunt; nam si ad nomothetas pertinerent enuntiato *οὓς ἂν κτλ.* anteponenda fuissent, ne Tisamenum parum perspicuo et distincto sermone usum esse statuendum sit. Quos cives pagani inter nomothetas elegerint, non liquet; cur de heliastis cogitetur, inveniri non potest, cum verba *ἐπειδὴ ὀμωμόκασιν* omnino nihil de heliastis eorumque sacramento contineant. Aliud igitur paganorum sacramenti argumentum erat neque absurdum erat paganos, antequam nomothetas eligerent, sacramento adigi, cum haec nomothesia omnium maxima et gravissima esset. Ex indicativis *εἵλοντο* et *ὀμωμόκασιν* sequitur non rogasse Tisamenum, ut pagani sacramento adigerentur nomothetasque eligerent; quod si rogasset, scribendum erat *οὓς ἂν ἕλωνται* et *ἐπειδὰν ὀμωμόκωσιν,* sed hos nomothetas a paganis sacramento adactis jam esse electos, antequam Tisamenus psephisma tulit, quod maximi

est momenti. Nomothesiae quam Tisamenus proposuit, ratio haec fuit: cum Solonis et Dracontis leges jam non sufficere novasque addendas esse appareret, senatus nomothetarum collegium elegit, qui harum novarum legum proponendarum curam subirent; ante mensis finem senatui alterique quingentorum nomothetarum collegio, quos pagani jam antea elegerant, traditae et ab his recognitae sunt, qua in re hominibus privatis, ut in senatum adirent, concedebatur. At praeter nomothetas a senatu electos quid sibi volunt quingenti illi nomothetae? Ad alteram nomothesiam eos electos esse necesse est, cujus vestigia jam extant. Post reditum enim Athenienses praeter alia novo corpore juris Attici, ut ita dicam, opus esse non fugit, quod omnes leges usque ad Euclidem datas compositas et ordinatas contineret; quarum legum cum major pars antiquae Solonis et Dracontis essent, hae imprimis colligendae et ordinandae erant. Postquam prima post reditum contione facta Thrasybulo auctore decretum est *τοῖς νόμοις τοῖς ἀρχαίοις χρῆσθαι* (Xenoph. Hell. II. 4. 42) vir quidam Atheniensis rogavit, ut illae Solonis et Dracontis leges colligerentur et ordinarentur et ut pagani sacramento adacti quingentos eligerent nomothetas, qui cum senatu eas leges perlustrarent. Qui cum viderent antiquis illis legibus novas addi necesse esse, Tisamenus psephisma tulit, cujus argumentum modo exposui. Duae igitur anno ol. 94. 2 nomothesiae Athenis fuerunt et duae nomothesiarum rationes, quarum ejus, quam proposuit Tisamenus, nomothetarum a senatu electorum, et causa et forma extraordinaria fuisse videtur, cum propter temporis, quo novum corpus juris Attici perficiendum erat, brevitatem et legum antiquarum recensendarum molem copiamque juxta nomothesiam priorem instituta sit[13]).

IV. Jam quaerendum est, quae ratio intercedat inter nomothesias anno ol. 94. 2 factas et eam nomothesiam, quam saeculo quarto fuisse e Demosthene Aeschineque discimus, qua in re Tisamenea, cum extraordinariam fuisse et causa et forma consentaneum sit, omitti

---

[13]) Dioclis lex, quae distinguit *νόμους πρὸ Εὐκλείδου τεθέντας ἐν δημοκρατίᾳ* et *ὅσοι ἐπ' Εὐκλείδου ἐτέθησαν καὶ εἰσιν ἀναγεγραμμένοι*, gravissimum nobis esset testimonium, si hanc legem, quae inserta est Demosthenis Timocrateae (§ 42), genuinam esse constaret.

potest, ut sola prior illa nomothesia, quae fiebat de legibus usque ad Euclidem archontem datis, cum saeculi quarti nomothesiae ratione comparetur.

Non pauca sunt, quibus differant inter se harum nomothesiarum rationes formaeque; primum enim saeculi quarti nomothesiae omnino deest senatus (cf. Westermannum, Verh. d. l. G. d. W. 1860 pag. 1—60), qui anno ol. 94. 2 cum quingentis nomothetis nomothesiae curam subit; Demosthenis aetate nomothetae ex heliastarum, qui proximo anno judices fuerant, numero eligebantur, nomothetae anni ol. 94. 2 a paganis evocati non erant heliastae; illi nomothetae mille esse solebant (Westermann pag. 32), hi erant quingenti[14]). Wolfius (ad Dem. Lept.) Tisameni nomothesiam extraordinariam fuisse statuit, quae distet quam maxime ab illa posteriore, quamvis non satis appareat, utrum tempus et causam an rationem extraordinariam dicat. Concedo tempus causamque et rationem nomothesiae, cujus auctor fuit Tisamenus, extraordinariam fuisse sed longe alio nomine atque voluit Wolfius, nam diversa est ab ea nomothesia, quae saeculo quinto fuit; priorem autem illam anni 94. 2 nomothesia eadem ratione atque, qua antea utebantur Athenienses, institutam esse verisimillimum est. Nomothesiae, quae fuerat ante Euclidem archontem, nulla fere mentio apud scriptores est; ex brevissimis Thucydidis verbis VIII. 97 *anno 92. 2 ἐγίγνοντο δὲ καὶ ἄλλαι ὕστερον πυκναὶ ἐκκλησίαι ἀφ' ὧν καὶ νομοθέτας καὶ τἆλλα ἐψηφίσαντο ἐς τὴν πολιτείαν* nihil efficitur nisi quod ei nomothesiae nihil novi vel extraordinarii fuit. Oratores, qui nomothesiam saeculi IV Soloni tribuunt, quam maxime errant, nam heliastae, e quorum numero eligebantur, qui hanc curam subirent, Periclis demum aetate institutos esse argumentis satis solidis firmari potest; Solonis aetate eos non fuisse constat. Sed rerum post rempublicam liberam restitutam gestarum ordinem indolemque reputanti haud probabile esse apparebit tum, cum plurimum intererat turbatas res quam brevissimo tempore in ordinem redigi neque temere aut in

---

[14]) **Quod pagani a. ol. 94. 2 nomothetas elegerint, novi et extraordinarii quid fuisse verisimillimum est, reliquis nomothesiis ante annum ol. 94. 2 factis nomothetae tributim electi esse videntur.**

magistratibus eligendis aut in nomothesia conficienda tempus perdi, nomothesiae modum prorsus novum et ad id tempus inusitatum a cive civibus propositum esse ut rem, quam nemo ultro intelligeret; immo consentaneum videtur tunc, ut quam celerrime nomothesia ad finem perduceretur, Athenienses ea ratione usos esse, quam jam dudum ex usu moreque noverint. Praeterea habemus testimonium, quo quam maxime probabile ne dicam pro certo effici potest senatus et quingentorum nomothetarum nomothesiam novi quid non fuisse: auctor enim commentarii *Ἀθηναίων πολιτείας,* qui ol. 89 aut 90 est scriptus, inter solita et continua senatus Atheniensis munera negotiaque nomothesiam fuisse testatur 3. 2 *τὴν δὲ βουλὴν βουλεύεσθαι . . . . πολλὰ περὶ νόμων θέσεως*; quod ut nullo modo cum nomothesia saec. IV conjungi potest, ita optime ad nostram nomothesiam quadrat. Itaque nomothesia, qua anno ol. 94. 2 omnes leges ad id tempus latae recensebantur, antiqua et solita ratione instituta esse videtur. Quando nomothesiae, quam Demosthenes Aeschinesque describunt, modus usu receptus sit, definiri non potest; sed consideranti, quot quantaque post Euclidem archontem de pristina reipublicae Atheniensium forma institutisque mutata sint, concedendum erit facile fieri potuisse, ut nomothesiae quoque nova ratio post id tempus instituta sit.

V. Köhlerus nuper, cum ederet catalogos sexagesimae tributorum (Abh. d. Berl. Akad. 1869), de Tisameni nomothesia disseruit (pag. 66. 67), quam comparata ratione, qua anno ol. 88. 4 *οἱ τάκται* electi sint, non extraordinariam esse sed conjungi posse cum saeculi quarti nomothesia dixit. Hoc ut probaret, ante omnia dubitationes, quas Westermannus de decretorum, quibus de saeculi quarti nomothesia docemur, fide moverat, refutandae erant et heliastis anno ol. 94. 2 nomothesiam delegatam esse demonstrandum erat. Ut Tisameni nomothesiam non extraordinariam fuisse doceat, affert comparato illo titulo primum, quod tactis et nomothetis a senatu electis similis quodammodo cura et fortasse idem numerus fuit; de numero autem neque tactarum (cf. Kirchhoffium C. I. A. p. 21) neque nomothetarum constat; ut similis utrisque cura esset, eo factum est, quod et ad urbium tributa constituenda et leges novas conscribendas ei eligebantur,

qui satis periti et ad hoc negotium apti videbantur; quod quotiescunque homines publice ad curam quandam legantur, accidit. Deinde recte monet Köhlerus et in vectigalibus constituendis et in legibus examinandis privatis, ut sententiam suam proferrent, licuisse. Tertio utitur argumento, quod et de legibus et vectigalibus a senatu quingentisque heliastis consultum est. (C. I. A. I. 166 *πόλεις ἃς ἡ] βουλὴ καὶ οἱ πεντακόσιο[ι δικασταὶ* (vel *ἡλιασταὶ*) *ἔτ]αξαν*). neque vero de heliastis leges examinantibus omnino quid invenitur neque de heliastis tributa constituentibus certi quid traditur; eorum enim mentionem Köhlerus conjiciendo restituit.

VI. Altera psephismatis pars de legibus novis, quae sunt probatae, loco publico proponendis et concilio Areopagitarum custodiendis agit; verba sunt haec:

ἐπειδὰν δὲ τεθῶσιν οἱ νόμοι ἐπιμελείσθω ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου τῶν νόμων ὅπως ἂν αἱ ἀρχαὶ τοῖς κειμένοις νόμοις χρῶνται· τοὺς δὲ κυρουμένους τῶν νόμων ἀναγράφειν εἰς τὸν τοῖχον ἵνα περ πρότερον ἀνεγράφησαν σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ.

His verbis non nisi de legibus novis *ὁπόσων ἂν προςδέῃ* agi manifestum est, cum de Solonis Dracontisque legibus denuo probandis ne verbum quidem per totum psephisma legatur. Quod anno reipublicae liberae restitutae Areopagitarum concilio *νομοφυλακίαν*, quae ante L fere annos Ephialte auctore dempta et septem *νομοφύλαξι*[15]) tradita erat, reddiderunt Athenienses, memoratu dignum est eo, quod sic ad eam reipublicae formam, quae ante Periclis aetatem fuit, redierunt; cui Areopagi restitutioni consilia oligarchica inesse solus vidit Scheibius. Enuntiatum *ἵνα περ πρότερον ἀνεγράφησαν* integrum non est; nam cum de novis legibus, quae ad id tempus omnino non fuerint, agatur, absurdum est rogare, ut eidem parieti atque cui antea inscriptae essent (*ἀνεγράφησαν*) inscriberentur; itaque ante *πρότερον* vocabulum deesse aliquid patet; quid exciderit, infra demonstrabo. Bergkius ep. ad Schill. p. 130 *τὸν τοῖχον* porticus regiae parietem esse recte conjecit; quod neque ex psephismatis neque ex Aristotelis verbis (Harp. s. v. *κύρβεις· ἀναγράψαντες δὲ τοὺς νόμους εἰς τοὺς κύρβεις*

[15]) Quod Scheibius conjecit eos anno ol. 94. 2 demum esse sublatos neque probari neque refelli potest.

ἔστησαν ἐν τῇ στοᾷ τῇ βασιλείᾳ) efficitur, sicut voluit Bergkius, sed ex Andocidis verbis.

VII. Jam quo tempore Tisamenus psephisma tulerit, quaerendum est.

Ordo rerum post reditum popularium Athenis gestarum si Xenophontem sequimur, hic erat: XII Bordromionis die (Plut. de gl. Ath. 7) ex Piraeo populares Athenas redierunt; ipso, ut videtur, reditus die Thrasybulus contione advocata praeter alia, ut in posterum *τοῖς ἀρχαίοις νόμοις* uterentur Athenienses, suasit. Xenophontis verba, quae sequuntur, haec sunt: *Θρασύβουλος ἀνέστησε τὴν ἐκκλησίαν καὶ τότε μὲν ἀρχὰς καταστησάμενοι ἐπολιτεύοντο.* Magistratus ipso reditus die electos esse ex *τότε* vocabulo non sequitur; quod cum opponatur verbis *ὑστέρῳ δὲ χρόνῳ*, quae infra leguntur, non dicit nisi inter diem reditus et expeditionem in Eleusina factam magistratus esse electos. Nonnullos dies inter reditum et electum senatum interfuisse testatur scholiasta in Aeschin. Ctes. 195, qui scribit *παρανόμων δὲ αὐτὸν* (*Thrasybulum, qui psephisma tulerat*) *Ἀρχῖνος . . . ἐγράψατο ὅτι οὔπω γενομένης βουλῆς ψήφισμα ἔγραψεν ὀλιγώρως πρὸ τοῦ βουλὴν ὑπάρξαι*; neque senatum amplo post reditum temporis spatio intermisso aut post reliquos magistratus electum esse probabile est. Post aliquod tempus (*ὑστέρῳ δὲ χρόνῳ*) expeditione in Eleusina facta oblivionis legem *ἦ μὴν μνησικακήσειν* cives sacramento adactos pepigisse Xenophon narrat. Longe alium rerum tum gestarum ordinem exhibet Andocides § 81 et 82: *ἐπειδὴ δ'ἐπανήλθετε ἐκ Πειραιέως . . . . . ἔγνωτε ἐᾶν τὰ γεγενημένα . . . . καὶ ἔδοξε μὴ μνησικακεῖν ἀλλήλοις τῶν γεγενημένων· δόξαντα δὲ ὑμῖν ταῦτα εἵλεσθε ἄνδρας εἴκοσι . . . . . . ἐπειδὴ δὲ βουλὴν ἀπεκληρώσατε κτλ.* Ordo igitur rerum erat, si sequeris

Xenophontem	*Andocidem*
reditus } contio }	reditus
aliquot dierum spatium	
magistratus et senatus electi	
expeditio in Eleusina	
lex oblivionis	oblivionis lex
	senatus electus
	XX viri instituti

Ex hac tabula apparet Andocidis et Xenophontis narrationes ita inter se discrepare, ut conjungi non possint. Cum Andocidem levissimum in enarrandis rebus gestis fuisse constet, nulli ei fides est habenda, quotienscunque diligentis auctoris, quem Xenophontem fuisse nemo negabit, narratio est servata.

Viginti virorum illorum praeter Andocidem solus Pollux mentionem fecit, qui VIII. 112 haec habet *οἱ εἴκοσι. τούτους εἵλοντο μετὰ τοὺς τριάκοντα τῆς πολιτείας καὶ τῶν νόμων ἐπιμελητάς*[16]); legum, quas Soloneas et Draconteas fuisse recte monuit Scheibius, curam XX viris traditam esse Pollux addidit; quod an recte fecerit, dubium est. Mihi quidem omnino de illis viginti viris dubitandum esse videtur; nam cum reliqua, quae narrat Andocides, si modo ordinem rerum Andocideum mutasti, cum Xenophontea narratione consentiant, viginti viris, si Xenophontis sequimur ordinem, nullus est locus. Magistratus enim et senatus, quos paucis post reditum diebus electos esse fere constat, reipublicae rite regendae et negotiis publicis curandis sufficiebant; et quis est, qui credat Athenienses, ut numerum magistratuum et comitia magistratibus eligendis temere augerent, XX viros addidisse, qui, quid juxta senatum magistratusque voluerint, inveniri non potest.

Ex Andocidis verbis *ἕως ἂν οἱ νόμοι τεθεῖεν* apparet, cum instituerentur illi XX viri, jam consilium nomothesiae esse initum, quam orator his verbis describit (§ 82) *ἐπειδὴ δὲ βουλὴν ἀπεκληρώσατε*[17]) *νομοθέτας τε εἵλεσθε εὑρίσκοντες*[18]) *τῶν νόμων τῶν Σόλωνος καὶ τῶν Δράκοντος πολλοὺς ὄντας οἷς πολλοὶ τῶν*

---

[16]) Inepta sunt, quae subsequuntur *ἀριστίνδην ἐπιλεξάμενοι*, si sollemnem *ἀριστίνδην* vocabuli notionem Atticam servant. Miror hoc Scheibium fugisse, qui ex his perabsurdis verbis non parvam oligarchorum auctoritatem in restituenda republica fuisse opinatus est; auctor, quem Pollux transtulit, dixisse videtur *τοὺς ἀρίστους ἐπιλεξάμενοι*.

[17]) Ex hoc vocabulo non apparet nonnullos senatores cum D nomothetis leges recensuisse, quod voluit Scheibius; nam partitivam notionem *ἀποκληροῦν* vox non habet nisi additis, ex quibus eligantur (Thuc. VIII. 69 *οἱ δὲ τετρακόσιοι . . . πρυτάνεις σφῶν αὐτῶν ἀπεκλήρωσαν*).

[18]) Codicum lectionem *εὕρισκον* emendavit Reiskius; *δοκιμάσαντας*, quod sequitur, restituit Bergkius l. l. pag. 129 collatis § 89 verbis *ἔδοξεν ὑμῖν δοκιμάσαι μὲν τοὺς νόμους, δοκιμάσαντας δὲ ἀναγράψαι.*

πολιτῶν ἔνοχοι ἦσαν τῶν πρότερον ἕνεκα γεγενημένων, ἐκκλησίαν ποιήσαντες ἐβουλεύσασθε περὶ αὐτῶν καὶ ἐψηφίσασθε δοκιμάσαντας πάντας τοὺς νόμους εἶτ' ἀναγράψαι ἐν τῇ στοᾷ τούτους τῶν νόμων οἳ ἂν δοκιμασθῶσι. Causam hujus nomothesiae non rectam afferre Andocidem monuit Schömannus (Verfass.-Gesch. pag. 90), quod amnestia facta rerum ante reditum gestarum oblivio et indemnitas datae sunt. Hanc nomothesiam cum ea, quam Tisamenus rogavit conjungi posse negavit Sieversius H. Gr. pag. 94 adn. 36; sed errasse mihi videtur. Supra enim conjeci, antequam Tisamenus de addendis legibus tulerit, aliud de legibus Solonis et Dracontis decretum propositum et probatum esse, atque de hac priore nomothesia agit Andocides; senatus enim et nomothetae, quos artissime conjunxit orator particulis *τέ-τέ,* idem sunt atque *ἡ βουλὴ καὶ οἱ νομοθέται οἱ πεντακόσιοι οὓς οἱ δημόται εἵλοντο ἐπειδὴ ὀμωμόκασιν,* et leges Soloneas et Draconteas et si quae aliae usque ad Euclidis annum latae sunt, tum esse recognitas testatur Andocides *ἐβουλεύσασθε περὶ αὐτῶν* id est *τῶν νόμων τῶν τε Σόλωνος καὶ τῶν Δράκοντος* et *δοκιμάσαντας πάντας τους νόμους.*

Supra monui psephismatis verbis *ἵνα περ πρότερον ἀνεγράφησαν* lacunam inesse. Quid desit, ex Andocidis verbis s. l. apparet; nam si antea rogatum scitumque est, ut Solonis et Dracontis leges, quae probatae essent, porticus regiae parietibus inscriberentur, bene rogavit Tisamenus, ut novae leges eidem parieti, atque cui illae essent inscriptae, inscriberentur; excidit igitur ante *πρότερον* vocabulum antiquarum legum mentio. Ex indicativo *ἀνεγράφησαν* efficitur has leges jam esse inscriptas, cum Tisamenus psephisma de addendis legibus tulerit; post senatum et magistratus electos psephisma ultro docet se esse latum.

VIII. Restat, ut colligantur, quae de nomothesiis anno ol. 94. 2 factis exposui et conjeci.

Paucis diebus post Atheniensium in urbem reditum senatu et magistratibus denuo electis, aliquis e civium numero rogavit populusque scivit, ut, cum turbatas leges componi et in ordinem redigi necesse esset, Solonis et Dracontis leges et si quae aliae ad eum annum essent latae, recenserentur, ut pagani sacramento adacti nomothetas quingentos eligerent, qui cum senatu has leges exami-

narent, ut leges, quae probatae essent, porticus regiae parietibus inscriberentur et Areopagitarum concilio custodiendae traderentur. Qua in re cum intelligeretur veteres leges non jam esse suffecturas et fortasse dubitaretur, an plane novum corpus juris Attici pro veteribus illis legibus proponendum esset, Tisamenus rogavit, ut leges Solonis et Dracontis servarentur, neque enim nova sylloga legum opus esse; sed ut adderentur novae leges, quaecunque e re esse viderentur, ut ad has leges conscribendas senatus nomothetas eligeret, qui ante mensis finem leges novas proponerent; ut novas leges senatus et quingenti nomothetae inspicerent, ut, quae essent probatae aeque atque veteres leges probatae porticus regiae parieti inscriberentur et Areopagitarum concilio traderentur custodiendae.

IX. Plane adhuc omisi verba scholiastae Aeschinis, qui (in Tim. 39) de nomothesia Euclide archonte facta haec narrat, *οἱ λ' τύραννοι . . . ἐλυμήναντο τοὺς Δράκοντος καὶ Σόλωνος νόμους· ἀπολαβὼν οὖν ὁ δῆμος τὴν ἐλευθερίαν εἵλετο πολίτας κ' τοὺς ζητήσοντας καὶ ἀναγράψοντας τοὺς διεφθαρμένους τῶν νόμων καὶ ἐψηφίσαντο καινοὺς νόμους εἰςφέρειν ἀντὶ τῶν ἀπολωλότων ἐπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος.* Scholiastam auctoris, quem sequitur, verba corrupisse manifestum est, nam, quid sit *νόμοι διεφθαρμένοι* et *ἀπολωλότες,* non liquet. Auctor ille de duabus nomothesiis narrasse videtur, priore, quae de omnibus legibus facta esse videtur, altera qua *καινοὺς νόμους εἰςφέρειν ἐψηφίσαντο.* Hujus narrationis XX viri neque cum Andocidis XX viris neque psephismatis nomothetis a senatu electis conjungi possunt.

X. Cum Andocides verbis *καί μοι ἀνάγνωθι τὸ ψήφισμα* scribam id psephisma recitare jubeat, quod de omnibus legibus antiquis latum erat, Tisameni autem psephisma de legibus novis addendisque, quae res majoris illius nomothesiae pars erat, agat, fieri non potuit, ut, cum Andocides orationem habuit, post verba *καί μοι ἀνάγνωθι τὸ ψήφισμα* Tisameni psephisma recitaretur, quippe quod non probat ea, quae orator recitando psephismate probari vult. Quae cum ita sint, manifestum est non ex Andocidis consilio sed interpolatoris cujusdam Tisameni psephisma insertum esse eo loco, quo nunc legitur.

Priore hujus commentarii parte demonstravi tria psephismata Atheniensia, quae inter Andocidis verba leguntur, genuina esse, Demophanti autem et Tisameni non ea esse, quae orator, cum habuit orationem, recitari jussit[19]). Homo aliquis doctus haec psephismata inseruit atque ita inseruit, ut post § 76 Patroclidis nomine, quod laudat Andocides, ductus rectum addiderit psephisma, post §§ 83 et 96, cum auctorum nomina non laudata sint ab oratore, duo psephismata, quibus similia quodammodo argumenta sunt atque decretis, quae recitari jubentur, inseruerit. Quis inseruerit haec psephismata non liquet. Harpocrationem ea jam inter orationis verba legisse apparet ex eis, quae sub voce *λογιστήρια* affert: *λ. δ' ἐστὶν τὰ τῶν λογιστῶν ἀρχεῖα ὡς . . . . Ἀνδοκίδης ἐν τῷ περὶ μυστηρίων δηλοῖ·* legitur autem id vocabulum in Patroclidis psephismate § 77. Unde inserta sint, conjiciendo effici posse videtur. Demophanti enim psephisma perperam insertum esse videtur ea sola causa, quod ei, qui inseruit, aut ipsa Solonis lex aut sylloga legum, quae Soloneam quoque legem continebat, non praesto erat. Quod si recte conjeci, psephismatum tantum sylloga, ex qua, quae desideraret, suppleret, homini illi docto prae manibus erat; quam syllogam Crateri *ψηφισμάτων συναγωγήν* fuisse verisimillimum est, qua permultos auctores usos esse constat.

---

[19]) Nominum catalogos § 13, 15, 35, 47, quae genuina esse demonstravit Kirchhoffius (J. J. 1860 pag. 838. M. Ber. d. Berl. Ak. 1865 pag. 545) et colloquium (§ 14) Andocides, cum ederet hanc orationem, ipse addidisse videtur. De legibus, quae leguntur § 85—87, non constat, cum ab ipso oratore laudentur §§ 88 et 89.

APPENDICES.

I. Psephismatum textus restituti.

Demophanti psephisma a. o. 92. 3.

Ἐδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ· Αἰαντὶς[1]*) ἐπρυτάνευε Κλειγένης ἐγραμμάτευε Βοηθὸς ἐπεστάτει*[2]*). Δημόφαντος συνέγραψεν*[3]*).*

ἐάν τις δημοκρατίαν καταλύῃ τὴν Ἀθήνησιν ἢ ἀρχήν τινα ἄρξῃ καταλελυμένης τῆς δημοκρατίας, πολέμιος ἔστω Ἀθηναίων καὶ νηποινεὶ[4]*) τεθνάτω καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ δημόσια ἔστω καὶ τῆς θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον· ὁ δὲ ἀποκτείνας τὸν ταῦτα ποιήσαντα καὶ ὁ συμβουλεύσας οσιος ἔστω καὶ εὐαγής· ὀμόσαι δ' Ἀθηναίους ἅπαντας καθ' ἱερῶν τελείων κατὰ φυλὰς καὶ κατὰ δήμους ἀποκτενεῖν*[5]*) τὸν ταῦτα ποιήσαντα· ὁ δὲ ὅρκος ἔστω ὅδε.*

κτενῶ καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ καὶ ψήφῳ καὶ[6]*) τῇ ἐμαυτοῦ χειρὶ ἂν δυνατὸς ὦ ὃς ἂν καταλύσῃ τὴν δημοκρατίαν τὴν Ἀθήνησι καὶ ἐάν τις ἄρξῃ τινὰ*[7]*) ἀρχὴν καταλελυμένης τῆς δημοκρατίας τὸ λοιπὸν καὶ ἐάν τις* τυραννεῖν ἐπαναστῇ ἢ τὸν τύραννον συγκαταστήσῃ· καὶ ἐάν τις ἄλλος κτείνῃ*[8]*) ὅσιον αὐτὸν νομιῶ εἶναι καὶ πρὸς θεῶν καὶ πρὸς δαιμόνων ὡς πολέμιον κτείναντα τῶν Ἀθη-*

---

[1]) Em. Reiskius. codd. *ἐάν τις*.

[2]) Post *ἐπεστάτει* codd. perperam praebent *τάδε*.

[3]) Post *συνέγραψεν* codd. *ἄρχει χρόνος τοῦδε τοῦ ψηφίσματος ἡ βουλὴ οἱ πεντακόσιοι οἱ* (add. I. Bekker) *λαχόντες τῷ κυάμῳ ὅτε* (legend. *οἷς*) *Κλεογένης πρῶτος ἐγραμμάτευε.* quae verba anno ol. 94. 2 addita esse videntur.

[4]) rest. Blassius. codd. *νηποινί*.

[5]) Codd. *ἀποκτείνειν*.

[6]) Verba *καὶ λόγῳ — ψήφῳ καὶ* Luzacius et Turr. fortasse recte inseruerunt.

[7]) Codd. *τήν*; em. Reiskius.

[8]) Codd. *ἀποκτείνῃ*.

ναίων καὶ τὰ κτήματα τοῦ ἀποθανόντος πάντα ἀποδόμενος ἀποδώσω τὰ ἡμίσεα τῷ κτείναντι[9]) καὶ οὐκ ἀποστερήσω οὐδέν. . . . .[10]) ἐὰν δέ τις κτείνων τινὰ τούτων ἀποθάνῃ ἢ ἐπιχειρῶν εὖ ποιήσω αὐτόν τε καὶ τοὺς παῖδας τοὺς ἐκείνου καθάπερ Ἁρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα καὶ τοὺς ἀπογόνους αὐτῶν· ὁπόσοι δὲ ὅρκοι ὀμώμονται Ἀθήνησιν ἢ ἐν τῷ στρατοπέδῳ ἢ ἄλλοθί που ἐναντίοι τῷ δήμῳ τῷ[11]) Ἀθηναίων λύω καὶ ἀφίημι.

ταῦτα δὲ ὀμοσάντων Ἀθηναῖοι ἅπαντες καθ' ἱερῶν τελείων τὸν νόμιμον ὅρκον[12]) πρὸ τῶν[13]) Διονυσίων καὶ ἐπεύχεσθαι ἐπιορκοῦντι μὲν εἶναι πολλὰ καὶ ἀγαθὰ ἐπιορκοῦντι δ' ἐξώλη αὐτὸν εἶναι καὶ γένος.

Patroclidis psephisma a. o. 93. 4.

[Ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ . . . . . . ἐπρυτάνευεν, ὁ δεῖνα ἐπεστάτει, ὁ δεῖνα ἐγραμμάτευε] Πατροκλείδης εἶπε· ἐπειδὴ ἐψηφίσαντο Ἀθηναῖοι τὴν ἄδειαν περὶ τῶν ἀτίμων καὶ[1]) τῶν ὀφειλόντων ὥστε λέγειν ἐξεῖναι καὶ ἐπιψηφίζειν.

ψηφίσασθαι τὸν δῆμον ταὐτὰ ἅπερ ὅτε ἦν τὰ Μηδικὰ καὶ συνήνεγκεν Ἀθηναίοις ἐπὶ τὸ ἄμεινον·

περὶ δὲ τῶν ἐγγεγραμμένων[2]) εἰς τοὺς πράκτορας ἢ τοὺς ταμίας τῆς θεοῦ ἢ[3]) τοὺς[4]) τῶν ἄλλων θεῶν ἢ τὸν βασιλέα ἢ εἴ τις μὴ ἐνεγράφη[5]) μέχρι τῆς ἐξελθούσης βουλῆς ἐφ' ἧς Καλλίας ἦρχεν ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν[6]) καὶ ὅσων εὔθυναί τινές εἰσι κατεγνωσμέναι ἐν τοῖς λογιστηρίοις ὑπὸ τῶν εὐθύνων καὶ[7]) τῶν παρέδρων ἢ μήπω εἰσηγμέναι εἰς τὸ δικαστήριον

---

[9]) Codd. *ἀποκτείναντι*; verba, quae codd. post *ἀποκτείναντι* exhibent, *καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ καὶ ψήφῳ* recte omiserunt Turr.

[10]) Hoc fortasse loco ea, quae de *συμβουλεύειν* dicta erant, desunt.

[11]) Codd. *τῶν*.

[12]) Verba *τὸν νόμιμον ὅρκον* anno ol. 94. 2 addita?

[13]) *τῶν* addidi.

[1]) *Τῶν ἀτίμων καὶ* inseruit Sauppius.

[2]) Codd. *ἐπιγεγραμμένων*; corr. Emperius.

[3]) Codd. *καὶ*.

[4]) *τοὺς* addidi.

[5]) Codd. *ἐξεγράφη*. Sauppius *ἐπεγράφη*. *ἐνεγρ.* ego.

[6]) Perperam sequitur *ἢ ὀφείλοντες*.

[7]) Codd. *ἢ*; corr. Boeckhius.

γραφαί τινές εἰσι περὶ τῶν εὐθυνῶν . . . . . . ἢ προστάξεις . . . . ἢ ἔγγυαί τινές εἰσι κατεγνωσμέναι εἰς τὸν αὐτὸν τοῦτον χρόνον καὶ ὅσα ὀνόματα τῶν τετρακοσίων[8]) *ἐγγέγραπται ἢ ἄλλο τι περὶ τῶν ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ πραχθέντων ἐστί που γεγραμμένον· πλὴν ὁπόσα ἐν στήλαις γέγραπται τῶν μὴ ἐνθάδε μεινάντων . . . .*[9]) *ἢ ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ τῶν ἐφετῶν ἢ ἐκ πρυτανείου*[10]) *καταδικασθεῖσι*[11]) *ὑπὸ τῶν βασιλέων*[12]) *ἐπὶ φόνῳ τίς ἐστι φυγὴ*[13]) *ἢ σφαγαῖσιν ἢ τυραννίδι*[14])· *τὰ δὲ ἄλλα πάντα ἐξαλεῖψαι τοὺς πράκτορας καὶ τὴν βουλὴν καὶ** *τὰ εἰρημένα ζητήσαντας*[15]) *πανταχόθεν ὅπου τί ἐστι ἐν τῷ δημοσίῳ αὐτὰ*[16]) *καὶ εἴ που ἀντίγραφόν ἐστι παρέχειν τοὺς θεσμοθέτας καὶ τὰς ἄλλας ἀρχάς. ποιεῖν δὲ ταῦτα τριῶν ἡμερῶν ἐπειδὰν δόξῃ τῷ δήμῳ· ἃ δ' εἴρηται ἐξαλεῖψαι μὴ κεκτῆσθαι ἰδίᾳ μηδενὶ ἐξεῖναι.*

. . . .[17]) *μηδὲ μνησικακήσειν*[18]) *μηδέποτε· εἰ δὲ μὴ ἔνοχον εἶναι τὸν παραβαίνοντα ταῦτα ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐν οἷσπερ οἱ ἐξ Ἀρείου πάγου φεύγοντες ὅπως ἂν ὡς πιστότατα ἔχοι Ἀθηναίοις καὶ νῦν καὶ εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον.*

Tisameni psephisma a. o. 94. 2.

Ἔδοξεν [τῇ βουλῇ καὶ] τῷ δήμῳ [. . . . . ἐπρυτάνευε, ὁ δεῖνα ἐγραμμάτευε ὁ δεῖνα ἐπεστάτει] Τισαμενὸς εἶπε.

πολιτεύεσθαι Ἀθηναίους κατὰ τὰ πάτρια, νόμοις δὲ χρῆσθαι τοῖς Σόλωνος καὶ μέτροις καὶ σταθμοῖς, χρῆσθαι δὲ καὶ τοῖς Δράκοντος θεσμοῖς οἷσπερ ἐχρώμεθα ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ·

ὁπόσων δ' ἂν προσδέῃ . . . .[1]) *οἱ δὲ ᾑρημένοι νομοθέται ὑπὸ*

---

8) Post *τετρακοσίων* codd. *τινός*.

9) Lacunam statui.

10) Codd. post *ἐκ πρυτανείου ἢ ἐκ Δελφινίου*.

11) Codd. *ἐδικάσθη. καταδικασθεῖσι* restitui; *ἤ*, quod sequitur, delevit Luzacius.

12) Codd. *ἤ* omisi.

13) Codd. *καὶ θάνατος κατεγνώσθη*; del. Scheibius.

14) Codd. *σφαγεῦσιν καὶ τυράννοις*; rest. Kirchhoffius.

15) *ζητήσαντας* addidi.

16) *αὐτά* addidi.

17) Desunt, quibus de concordia sacramentis firmanda agebatur.

18) Codd. *μνησικακῆσαι*.

1) Lacunam indicavit Blassius.

τῆς βουλῆς ἀναγράφοντες[2]) *ἐν σανίσιν ἐκτιθέντων πρὸς τοῖς ἐπωνύμοις*[3]) *σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ καὶ παραδιδόντων ταῖς ἀρχαῖς ἐν τῷδε τῷ μηνί· τοὺς δὲ παραδιδομένους*[4]) *νόμους δοκιμασάτω πρότερον ἡ βουλὴ καὶ οἱ νομοθέται οἱ πεντακόσιοι οὓς οἱ δημόται εἵλοντο ἐπειδὴ ὀμωμόκασιν· ἐξεῖναι δὲ καὶ ἰδιώτῃ τῷ βουλομένῳ εἰσιόντι εἰς τὴν βουλὴν συμβουλεύειν ὅτι ἂν ἀγαθὸν ἔχῃ περὶ τῶν νόμων. ἐπειδὰν δὲ τεθῶσι οἱ νόμοι ἐπιμελείσθω ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου τῶν νόμων ὅπως ἂν αἱ ἀρχαὶ τοῖς κειμένοις νόμοις χρῶνται. τοὺς δὲ κυρουμένους τῶν νόμων ἀναγράφειν εἰς τὸν τοῖχον ἵνα περ ......*[5]) *πρότερον ἀνεγράφησαν σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ.*

II. Thucydidis de belli Peloponnesiaci initio testimonia inter se contraria aestimantur.

Fugisse videtur homines doctos Thucydidem cum l. II et V belli Peloponnesiaci initium narraret, temporis definitionem ambiguam tradidisse.

Pax, quae a Nicia cognominatur, anno ol. 89. 3 *ἕκτῃ φθίνοντος* Elaphebolionis mensis pacta est V. 19 *ἄρχει τῶν σπονδῶν ἐν Ἀθήναις ἄρχων Ἀλκαῖος Ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἕκτῃ φθίνοντος* vel, ut auctor ipse minus accurate c. 20 dicit, *τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἅμα ἦρι ἐκ Διονυσίων εὐθὺς τῶν ἀστικῶν.* Deinde pergit auctor *αὐτοδέκα ἐτῶν διελθόντων καὶ ἡμερῶν οὐ πολλῶν παρενεγκουσῶν ἢ ὡς τὸ πρῶτον ἡ ἐσβολὴ εἰς τὴν Ἀττικὴν καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου τοῦδε ἐγένετο*; quod bellum non nisi Archidamicum, quod vocatur, esse manifestum est. Prima igitur Lacedaemoniorum irruptio facta est paucis ante *ἕκτην φθίνοντος* Elaphebolionis mensis anni ol. 87. 1 (431) *τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος*, ut illae *ἡμέραι οὐ πολλαὶ παρενεγκοῦσαι* ejus anni hiemi sint detrahendae.

II. 2 Thucydides primum Plataeas oppugnatas esse dicit *Πυθοδώρου* (ol. 87. 1) *ἔτι δύο μῆνας ἄρχοντος Ἀθηναίοις ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ* (§ 4 *τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος*). Krügerus primus docuit nu-

[2]) Codd. *ἀναγράφοντας. ἀναγράφοντες* I. Bekkerus.

[3]) Codd. *πρὸς τοὺς ἐπωνύμους.*

[4]) *παραδιδομένους* sanum non est.

[5]) Nonnulla desunt (*οἱ ἄλλοι νόμοι?*)

merum *δύο* corruptum esse et *δ* scripsit; quod si recte conjecit, Plataeae exeunte mense Anthesterione (431) oppugnatae sunt; neque de ea re quisquam eorum, qui postea quaesiverunt, dubitavit. Deinde eodem libro 19 haec habet auctor de prima irruptione: *οἱ Λακεδαιμόνιοι (Oenea frustra oppugnata) ὁρμήσαντες ἀπ' αὐτῆς μετὰ τὰ ἐν Πλαταίᾳ [τῶν ἐςελθόντων Θηβαίων] γενόμενα ἡμέρᾳ ὀγδοηκόστῃ μάλιστα τοῦ θέρους καὶ τοῦ σίτου ἀκμάζοντος ἐςέβαλον ἐς τὴν Ἀττικήν*; ut primam irruptionem media aestate vel, si Krügeri sequeris conjecturam, Thargelione mense factam esse colligas.

De primae igitur irruptionis tempore idem auctor diversis locis ita retulit ut sibi ipse aperte adversetur. Krügerum suo jure in numero *δύο* offendisse manifestum est, numerum autem *τέσσαρας* rectum esse nullo modo probari potest.

Totius belli Peloponnesiaci tempus, inde a prima irruptione *μέχρι οὗ τήν τε ἀρχὴν κατέπαυσαν τῶν Ἀθηναίων οἱ Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ σύμμαχοι καὶ τὰ μακρὰ τείχη καὶ τὸν Πειραιᾶ κατέλαβον. ἔτη δὲ ἐς τοῦτο τὰ ξύμπαντα ἐγένετο τῷ πολέμῳ ἑπτὰ καὶ εἴκοσι*, quibus infra addit *ἡμέρας οὐ πολλὰς παρενεγκούσας*. Quem numerum si ad libri II definitionem addis, belli finis evadit anno ol. 93. 4 *τοῦ θέρους καὶ σίτου ἀκμάζοντος* (404); si addis ad libri V. computationem, urbs dedita est nonnullis post *ἕκτην φθίνοντος* Elaphebolionis mensis diebus praetermissis anno 93. 4 (ineunte vere 404), quod tempus quam proxime ad diem a Plutarcho laudatum accedit.

Thucydides (I 45 et 50) Athenienses duas classes Corcyraeis contra Corinthios submisisse alteramque Glaucone duce ipso pugnae ad Sybota commissae die ad Corcyraeos advenisse narrat. Cujus pugnae tempus ex titulo Attico (C. I. A I. 179) definitur, qui rationes pecuniae ducibus duarum expeditionum in Corcyram anno ol. 86. 4 datae continet. Boeckhius (Abh. d. Berl. Ak. 1846 pag. 355 ff.) tituli lacunas recte ita supplevit, ut statuendum sit eas pensiones eadem prytania, quam Aeantis tribus prima eo anno egit, factas esse.

Ταμίαι] ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηναία[ς.....παρέδοσαν] στρατηγοῖς ἐς Κόρκυραν τοῖς [πρώτοις ἐκ]πλέουσι......[ἐπὶ τῆς Αἰαν]τίδος πρυτανείας πρώτης πρυ[τανευούσης τ]ρεῖς καὶ δέκα ἡμέραι ἐςεληλυ-

[*θυίας*] (VII d. Aug. m. 433). *ταμ]ίαι ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀ[θηναίας . . . παρέ]δοσαν στρατηγοῖς ἐς Κόρ[κυραν τοῖς δευτέρ]οις ἐκπλέουσι* . . . . . [*ἐπὶ τῆς*] *Αἰαντίδος πρυτανείας* [*πρώτης πρυτανευούσης*] *τῇ τελε*[*υταίᾳ ἡμέρᾳ τῆς πρυτανείας*] (XXIX d. Aug. m.). Itaque cum Glauconem accepta pecunia statim profectum esse neque in itinere tempus temere perdidisse verisimile sit, pugna ad Sybota medio mense Septembri 433 facta est. Hanc pugnam Thucydides I. 57 *τὰ Ποτειδαιατικὰ* subsecuta esse narrat (*εὐθὺς μετὰ τὴν ἐν Κορκύρᾳ ναυμαχίαν*). Res ad Potidaeam gestas I, 56—65 ita narrat, ut quo anni tempore Chalcidenses defecerint, Peloponnesiorum auxilia Potidaeam pervenerint, Peloponnesii cum Atheniensibus ad Potidaeam conflixerint, oppidi oppugnatio instituta sit, dignosci non possit. Quae cum ita sint, perbene accidit, ut ipse Thucydides certi quid de tempore proelii Potidaeensis tradiderit; computat enim II, 2 oppugnationem Plataearum *ἕκτῳ μηνὶ ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ* (anni 431) post hanc pugnam accidisse, ut colligi liceat pugnam Potidaeensem autumno anni 432 commissam esse*). Postquam pugna commissa Potidaea jam obsidebatur, Peloponnesiorum concilium convocatum est, quo ut bellum Atheniensibus inferretur, decretum est (exeunte autumno aut hieme 432); quo consilio capto *καθισταμένοις (Peloponnesiis) ὧν ἔδει ἐνιαυτὸς μὲν οὐ διετρίβη, ἔλασσον δὲ, πρὶν ἐσβαλεῖν ἐς τὴν Ἀττικήν,* ut narrat Thucydides I. 125. Haec verba addere non licuit, nisi jam pauci menses anno, qui praetermittebatur a Peloponnesiis, supererant primaque irruptio paucis mensibus ante auctumnum a. 431 accidit. Libro V primum irrupisse Lacedaemonios *τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἅμα ἦρι* Thucydidem narrare modo demonstratum est, quae definitio cum his libri I verbis prorsus conjungi non potest; sed irruptionis tempus, quod libro II statuit (*τοῦ σίτου καὶ τοῦ θέρους ἀκμάζοντος*), cum libri I verbis convenit.

Apparet Thucydidem de initio belli Peloponnesiaci contraria narrasse atque ita contraria, ut quae ll. I et II narrat, inter se conveniant, ea autem, quae libro V tradit quaeque addidit, cum

---

*) Qua ratione res a Thucydide relatae per hoc totius anni intervallum disponi possint, longum est hic disquirere.

totius belli Peloponnesiaci historiam conscripsit, prorsus nova et quantum video non probabilia sint.

III. Qui fuerint *οἱ ἀναγραφεῖς*, exponitur.

Postquam Vischerius et deinde uberius Schömannus A. Gr. I[2] 584 demonstraverunt ex Lysiae verbis in Nicom. § 27 *ἀντὶ δὲ ὑπογραμματέως νομοθέτης γεγένηται*, (§ 11, 19) effici non posse Nicomachum et Tisamenum Mechanionis f. inter nomothetas anno ol. 94. 2 electos fuisse, non abs re est, quo munere revera functi sint, quaerere.

Ἀναγράφειν vocabulo duplex est notio apud Athenienses: altera, quam exhibet titulorum formula *ἀναγράψαι δὲ τάδε τὸ* vel *ψήφισμα τόδε*, propria est de legibus decretisve pilis incidendis quorum exemplaria ad id tempus scripta non extiterunt nisi in ejus, qui primus tulit, autographo; altera, quae extat in psephismate de perscribenda Dracontis lege (C. I A. I. 61 l. 5) est de legibus decretisve, quae jam antea perscripta erant, iterum perscribendis; hanc perscribendi curam idem decretum docet traditam esse hominum collegio, qui vocabantur *οἱ ἀναγραφεῖς τῶν νόμων*. Utriusque igitur *ἀναγραφῆς* cura haec est, ut, quae perscribenda tradita erant, verbo nullo mutato additove pilis tabulisve inscriberentur, quod ne minimam quidem rerum scientiam judiciumque sed litterarum singularium et artis lapidariae peritiam postulabat. Lysias hoc perscriptoris (*ἀναγραφέως*) munere Nicomachum functum esse narrat § 4 *οστις . . . ἀνέγραφεν . . ἐξ ὧν ἔδει ἀναγράφειν*. (§ 19 *ἀναγράψας πλείω τῶν προσταχθέντων*, § 29 *Νικόμαχον εἵλεσθε ἀναγράφειν τὰ πάτρια*) eumque § 2 sollemni nomine nominat *ἐπειδὴ τῶν νόμων ἀναγραφεὺς ἐγένετο*. Idem Lysias Nicomachum *ὑπογραμματέα* fuisse testatur. Quae Lysiae verba si colliguntur, certi quid de hoc magistratu, ut hoc utar nomine, de quo reliqui scriptores tacent, effici potest. Sexcenties *ὁ γραμματεὺς τῆς βουλῆς* aut *ὁ γραμματεὺς κατὰ πρυτανείαν* decreti, quod est probatum, verba *ἀναγράφειν ἐστήλῃ* jubentur; qui cum essent senatores, ipsi haec decreta non perscribebant sed perscribenda curabant atque scribis publicis, quibus praeerant, tradebant, ut pilis tabulisve inciderent; ei autem scribae, quibus haec perscribenda tradebantur, *οἱ ἀναγραφεῖς*

*τῶν νόμων**) erant. Quot fuerint perscriptores, non liquet neque constat, num quotannis scribis publicis haec *ἀναγραφή* legata sit; eos anno ol. 92. 4, quo decretum de perscribenda lege Draconte latum est, jam fuisse, cum psephisma est rogatum, docet articulus *οἱ ἀναγραφεῖς*; sed si reputamus, quot quantaque Athenis perscripta sint, quotannis *ἀναγραφέας τῶν νόμων* institutos esse maximam veri habet speciem.

---

*) Vernaculo nomine nominari possunt: *Subalternschreiber der attischen Staatskanzlei.*

THESES.

I. M. Cornelii Frontonis epistolae post Frontonis mortem collectae et editae sunt.

II. Historia Romana de origine gentis Romanae, qua usus est Hieronymus, extat apud Paulum Hist. Rom. I, 1—3.

III. Quae Livius XXVI, 42—47 de Carthagine Nova a P. Cornelio Scipione expugnata narrat, fere omnia Polybio debentur.

IV. Aesch. Eum. 132 scribendum est ἐκλείπων.

V. Versus Odysseae ζ 110. 111 spurii sunt.

VI. Thucydidis ϑέρος non est anni aetas, sed ea anni pars, per quam bellum geri licebat.

VII. Medici ordinarii legionum medicis legionum superiores fuerunt.

VITA.

Natus sum Johannes Droysen Kiloniae prid. Non. Apr. MDCCCLI patre Joh. Gust. professore, matre Emma de gente Michaelis. Jenae, quo pater anno LI migravit, puer per annos octo degi litterarumque primitiis scholae, cui tunc praeerat Stoius v. cl., imbutus sum. Inde ab anno LIX, quo pater Berolinum rediit, ad annum LXIX gymnasium, quod postea Guilelmi regis nomine ornatum est, frequentavi; maturitatis testimonio munitus inter cives universitatis Lipsiensis receptus sum, ubi per bis VI menses scholis Roscheri, Schönii, Curtii, Ritschelii, Zarnckii interfui. Anno LXX Berolinum reversus bello in Francogallos exorto nomen dedi et, ut bello miles aliquantum temporis interessem, mihi contigit. Berolini per sexies VI menses scholas adii Hauptii, Kirchhoffii, Harmsii, Mommseni, Hübneri, Bonitzii, Müllenhoffii, Curtii, Helmholtzii, Gueistii, Nitzschii, Heydemanni, patris.

Benevolentia Hauptii et Kirchhoffii vv. cl. factum est, ut per bis VI menses seminarii regii philologici, Kirchhoffii, ut societatis graecae, Mommseni v. cl., ut societatis Romanae, Hübneri v. cl., ut societatis philologicae sodalis essem. Lipsiae Schönius v. cl. me inter societatis graecae sodales recepit. Quibus viris optime de me meritis gratum animum semper habebo.